brorum ceu ros quidam continetur. Quæ humiditas propriè nutrimentum est, quod dum adponitur, agglutinatur, & aßimilatur, nutritio fit. Est enim nutritio perfecta alimenti aßimilatio.

De uirtute uitali.

Vitalis est, quæ corpori uniuerso uitalem calorem præbet. Huius sedes est cor, à quo per arterias cum sanguine in omnes partes corporis distribuitur. Huc & adfectus pertinent, de quibus in secunda parte agetur.

De uirtute animali.

Virtus animalis est, quæ corporis partibus uim sentiendi & mouendi præstat. Huius domicilium Galenus, contra Aristotelem, cerebrum esse, rectè affirmat. Sicut autem epar uenis, cor arterijs, ita cerebrum neruis, ceu canalibus quibusdam utitur, per quos sensum & motum omnibus partibus reliquis impartit. Sensus sunt duplices: Exteriores, & interiores. Exteriores quinque: Visus, auditus, gustus, odoratus, tactus. Interiores: Imaginatio, cogitatio, seu ratiocinatio, & Memoria.

Motus animalis est, quo membra seu partes corporis pro arbitrio mouentur. Organa eius sunt musculi.

De Actionibus, & Spiritibus.

Tot sunt actiones & spiritus, quot uirtutes, scilicet, Naturales, uitales, & animales. Virtutes enim actionum causæ sunt, spiritus instrumenta.

Sunt

Sunt autem spiritus purißimæ & tenuißimæ substantiæ, in principalibus membris, ut sint organa uirtutum, genitæ. Vulgo spiritus definitur esse uapor sanguinis purus, subtilis &c.

Hæc de prima parte dixisse sufficiat. Qui integram de constitutione hominis noticiam habere cupit, legat Commentarium D. Philippi de Anima, in quo totus homo egregiè describitur.

SECVNDA PARS.

PRAECEPTA GENERALIA, de sanitate tuenda, siue de usu rerum, ad uitam necessariarum.

ERgo age quisquis eris, siue ista sequenda putabis,
Seu minus, & forsan splendidiora petis.
Hîc quoq; ne dubita, pars est tibi iusta salutis,
Parua etiam magnum plurima pondus habent.
Sit tibi præcipuè simplex & recta uoluntas,
Velle animi sana conditione frui.
Quo si non ualeas, frustra seruare laboras
Corpora, quæ medicæ munera nemis egent.
Omnia curarum fomenta relinque, nec ullis — De affectibus animi.
Pectus habe pressum sollicitudinibus.
Anxia mens non ipsa sibi non rebus agendis — Tristitia.
Constat, ab hac uitium corpora sæpe trahunt.

Hinc

DE TVENDA BONA VALETVDINE, LIBELlus Eobani Hessi, Commentarijs doctissimis illustratus, à Ioanne Placotomo, in Academia Regomontana Professore, Medico.


In quibus multa eruditè explicantur, studiosis Philosophiæ plurimùm profutura.

EIVSDEM,

De natura & uiribus Cereuisiarum, & Mulsarum, opusculum.

De causis, præseruatione, & curatione Ebrietatis, dissertationes.

CVM INDICE.



Cum Gratia & Priuilcgio Imperiali.

FRANC. Apud Chr. Egen.

SERENISSIMO AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, ac Domino, Domino Erico, Dei gratia Suecorum, Gottorum, Vandalorumq; electo Regi, Domino suo clementißimo.

SVPERIORI Anno enarraui quibusdam Scholasticis Carmina Eobani Heßi, de sanitate tuenda, inter quos & plurimi & diligentes Sueci fuerunt, qui tandem absoluto opusculo, à me etiam atq; etiam petierunt, ut locos, quos addere inter enarrandum solebam, & si quas haberem Annotationes domi conscriptas, publicarem. Quod cùm honestum, & non infrugiferum iuuentuti studiosæ putarem, non denegandum duxi. Quoniam uerò ipsorum id potißimùm causa facerem, uisum est meas lucubrationes T. S. dedicare. Aiunt enim, & sanctè affirmant, S. T. incredibili studio literarum teneri, & amore ingenuarum artium mirabiliter flagrare, quæ res mihi animum addidit, ut non uererer ipsorum petitioni obtemperare. Nec dubito quin S. T. pro suo singulari literarum ardore, æquo animo sit hæc qualiacunq; amplexura. Decet autē, & salutare Rebuspublicis est, Principes in tenera ætate, non solùm pietate sincera imbui, atq; ad honestas actiones, sed etiam ad temperantiam, quæ multarum uirtutum parens est, adsuefieri.

Docet hic libellus nihil aliud, quàm quomodo rebus ad uitæ sustentationem necessarijs, rectè uti debeamus, & quæ mediocritas in cibis, potu, somno, uigilijs, exercitijs, & reliquis medijs sit seruanda. Et *quanquam non dubito, præceptorem* S.T. *uirum doctißimum, hanc partem educationis non negligere, sed quæ ad temperantiam faciunt, tum docere fideliter, tum etiam suo exemplo sedulò demonstrare: Spero tamen tractationem, quæ integrum locum continet,* T.S. *nec iniucundam lectu, nec inutilem in uita futuram.* Iu*cundum certè est liberalibus ingenijs, & piè honesteq; institutis, etiam causas cõmunium præceptorum uidere, & non solùm nudas præceptiones discere, ne tantùm opinione aliorum ducantur, sed ut iudicio rebus ad uitam diuinitùs conceßis, fruantur.* Ver*ùm pauci* Hero*um filij sunt, qui hæc uel credant, uel sequantur.* Pler*iq; delitias & inanes uoluptates, quibus non tantùm corpus, sed etiam animum perdunt, sectantur: alij præmaturè, nondum confirmato iudicio, è scholis ad aulicam uitam negotiaq; tum forensia, tum bellica traducuntur.* A *quorum numero* S.T. *longißimè abesse* Ecclesiæ Dei *causa gaudeo, & Sueciæ regno amplißimo gratulor.* Q*uod cùm ita sit, nolo* T.S. *longa oratione hortari, & quasi curren ti calcar addere.* Pergat *modò, ut cœpit, & omnino sibi persuadeat, non tam opibus pollere, quàm literis & uirtute reliquos antecellere, regum esse, nec ullum pulchrius regni ornamentum, aut firmius præsidium*

rege pio, & uirtute prædito. Quapropter Rex Serenißime, magnoperè peto ut hoc meum studium boni consulas, & munusculum exiguum animo prompto accipias. Quod si intellexero, magna me uoluptate affectum, & præmium debitum laborum consecutum esse existimabo. Christus faxit, ut crescas pietate, uirtute, & temperantia, ad sui nominis gloriam, & salutem Sueciæ. Amen.

T. S.

Ioannes Placotomus,
Medicus.

ANNOTATIONES IN LIBELLVM EOBANI HESSI, DE *Bona ualetudine tuenda.*

Quomodo hæc doctrina ab Autoribus adpellatur?

Græci communiter διαίτην *uocant, Latini uictuum uel uictus rationem uertunt. Quidã Græcam dictionem retinent, & Latinis literis Diætam scribunt. Vulgus Regimen sanitatis adpellat. Galenus libros suos de sanitate tuenda,* περὶ ὑγιεινῶν *inscripsit.*

Quid est Diæta?

Est doctrina continens præcepta de sanitate tuenda, & morbis euitandis.

Quomodo sanitas conseruatur?

Valetudo sustentatur noticia sui corporis, tum ijs rebus, quæ res aut obesse, aut prodesse soleant, autore Cicerone.

Quæ sunt illæ res?

Aër, cibus & potus, excrementorum expulsio, motus & quies, somnus & uigilia, animi affectus. Harum legitimus usus conseruat naturam: abusus uerò, id est, intempestiuus uel immodicus usus, eandem corrumpit. Quare de recto usu illarum præcepta quædam traduntur.

Sunt ne

Sunt ne præcepta illa necessaria?

Sunt. Quidquid enim certa ratione constat, certo etiam modo conseruatur. Sanitas, quæ est primarum inter se qualitatum debita proportio, non casu aut temerè, sed certis quibusdam ceu legibus naturæ consistit. Igitur certis quibusdam regulis ad eam tuendam opus est. Adhæc experientia ipsa testatur, alios cibos alijs hominibus magis conuenire. Continentes secunda ualetudine frui, & esse μακροβίους. Incontinentes uerò citò extingui, aut grauissimis morbis implicari, & ualetudinarios esse.

Quare igitur uulgo dicitur, Medicè uiuere, esse miserrimè uiuere?

Si medicè uiuere, pro modicè ac temperanter uiuere, accipitur, falsiss. est dictum. Nam temperantia est parens sanitatis. Si uerò pro superstitioso & nimis exquisito uictu intelligitur, rectè dicitur. Neque enim nos probamus, ut sanus adhuc ex præscripto uiuat, nimisq́ue tenui & accurata uictus ratione utatur.

Quomodo eadem præcepta conueniunt tam diuersis hominibus. Sicut enim fieri non potest, ut unũ calopodium ad omnes pedes sutor accõmodet, ita nec Medicus unam omnibus uitæ speciem, quæ conducat?

Hic, sicut in alijs artibus, tantùm generales quæ-

dam regulæ traduntur, quas deinde quisq; ad se pro ætate & uitæ genere transferre, & quomodo suæ naturæ conueniant, obseruare debet, & non solùm quid ratio suadet, sed etiam quod experientia, rerum magistra, probat, exequi.

Non igitur præcepta sola ad uictũ probè instituendum sufficiunt?

Non sufficiunt. Sunt enim res quædam bonæ alioqui & salubres, attamen quibusdam hominibus adeò ingratæ, & aduersæ, ut ne gustare quidem illas possint. Vel si sumunt, maximum incommodum inde percipiunt. Ita uidemus quosdam uinum saluberrimum potum fastidire. Ita alij acida, alij dulcia, peculiari quodam naturæ uitio, nimium uel fugiunt, uel immoderatè adpetunt. Noui ego quendam doctum uirum, qui ab aceto adeò omnibus sensibus abhorruit, ut ne aspectum quidem eius toleraret. Quare in uictu deligendo non tantùm quid ratio probet, sed etiam quid experientia salubre esse confirmet, obseruandum & faciendum est. Pudendum autem, ut Plinius scribit, omnia animantia quæ sint salutaria ipsis nosse, præter hominem.

Sed illa præceptorum in uictu obseruatio uidetur superstitiosa esse, cùm Euangelium prohibeat discerni cibos & dies?

Imò impietas & homicidium est, ea negligere & contemne-

contemnere. Nam Paulus corpori honorem haberi iubet, & scriptura, ne cædem faciamus, prohibet. Constat autem corpora non solùm ferro, sed etiam crapula, ebrietate, intempestiuis, immodicisq; studijs, uiolentis affectibus, & similibus rebus corrumpi, & occidi. Neq; dubium est, quin in hac præsertim mundi senecta, plures homines crapula & luxu, quàm naturali morte aut gladio pereant.

Conducit ne etiam doctrina de tuenda sanitate ad alia?

Conducit. Præcipua tamen utilitas est tueri sanitatem. Deinde plurimum momenti ad studia quoque adfert. Nam caput, ut Plato inquit, studiorum est bona & recta educatio, quæ est pars diætæ. Tertiò, non parum ad mores bonos facit. Nam animi mores corporis naturam imitantur, corporis natura uictus rationem sequitur. Prauus igitur uictus uitiat & corrumpit corporis constitutionem, uitiata constitutio deprauat actiones mentis.

Quid est sanitas?

Est constitutio corporis, secundum naturã actiones perficiens.

Est ne omnium eadem sanitas?

Non. Sed sicut album corpus alio magis est albũ, ita quoq; aliud alio magis sanum est.

Quid est, quod Cicero dicit, Noticia sui corporis?

Idem est quod constitutio uel natura corporis, ad quam cognoscendam humanæ naturæ generalis explicatio requiritur. Hanc *Medici uocant* φυσιολογικήν. *Possit etiam non ineptè* ἀνθρωπολογική *dici.*

Quæ res ad constitutionem humani corporis concurrunt?

Elementa, Temperamenta, Humores, Membra, Virtutes, Actiones, & Spiritus.

Explica ergo ista ordine.

Explicabo, sed prius distribuam totum opusculũ in tria capita, siue potius in tres partes principales. Prima est de natura, seu constitutione hominis. Secũda continet generalia quædam præcepta de usu rerum ad uictum necessariarum. Tertia facultates alimentorum præcipuorum describit.

PRAEFATIO.

MVsa repertoris medicarum filia rerum,
Te duce conanti scribere pauca, faue.
Pauca canam cantata prius, sed Apolline nullo,
Et labor hic aliquo nomine noster erit.
Namq; hic, si qua leges adiuncta prioribus, idem
Nos ea de tenebris exeruisse scias.
Nam quæ fœda situ iacuere, & mersa profunda
Barbarie, uersu lucidiora fluent.
Adde, q̃ et numeros facile est meminisse, nec ullis
Dotibus ingenij gratia maior inest.

Quisquis

Quisquis ad hæc igitur ueri præludia uultum
Demittes, oculo fac patiente legas.
Nec uitio uertas, quia sit rude carmen, & omni
Exculti careat dexteritate styli,
Scripsimus ista rudes, cui nunc assuescimus, artis,
Et sunt præcipiti carmina facta mora.
Tu quoq; Sturtiadum decus & noua fama Georgi, Dedicatio operis.
Huius præcipuus carminis autor eras.
Cogere nanq; tibi ceu prima elementa iubebas,
Cuius nunc titulos, & decus artis habes.
Has igitur tibi primitias ignobilis agri,
Paruaq́; de sterili munera rure damus.
Accipe ferq́; libens inopis mediocria Musæ,
Sæpe etiam Diuis uilia dona placent.
Tunc ubi me studijs maior melioribus usus
Induet, his paruis splendidiora dabo.
Nunc ne longa breues æquent primordia ludos,
Hinc meus in cœpto puluere curret equus.

PARS PRIMA.

RERVM NATVRALIVM breuis digestio, ab Elementis & humoribus.

DE CONSTITVTIONE Hominis.

PRincipiò quicunq; uoles animoq́; ualere,
Corporis & sana conditione frui:

Cognoscenda

Cognoſcenda tui tibi ſunt primordia primùm
Corporis, & qui nam ſit ſtatus inde tibi.
Cognita quæ certæ poßint monſtrare ſalutis,
Ne malè conueniens ingrediaris, iter.
Hæc tibi, ſed breuibus, depingam ſingula formis,
Polliciti non ſunt pondera plena mei.

SCHOLIA.

Principio. *Summa.* Cognitio *corporum neceſſaria eſt ad hanc tractationem.* Breuiter *igitur eam deſcribã.* Idem Hipp. Medicinæ *princeps ſentit, cùm ita ſcribit:* Porrò *eum qui de uictu humano ſcripturus eſt, cenſeo primùm quidem totius hominis naturam noſſe ac dijudicare oportere.* Noſſe *quidem, ex quibus ab initio conſtitutus eſt, iudicare uerò, quæ in ipſo partes dominium obtineant. Si enim conſtitutionem ab initio non cognoſcet, & id quod in corpore dominatur, non poterit ea quæ homini conducunt, offerre.* Hæc *igitur ſcriptorẽ cognoſcere oportet &c.*

Velle ſana conditione frui. *Primus gradus tuendæ ſanitatis eſt, uoluntas & ſtudium rectè ualendi, idq; de mente præcipuè intelligendum eſt. Nam corpus ſequitur mentem tanquàm ducem. Conandum igitur eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.*

DE ELEMENTIS.

QVatuor ut conſtant Elementis *corpora noſtra,*
Quæ ſunt (ut perhibent) aër, aqua, ignis, humus.

SCHO-

SCHOLIA.

Vt perhibent *Physici & Medici.*

ANNOTATIONES.

Elementa ſunt corpora ſimplicia, ex quorum mixtione alia conſtituuntur.

Quatuor ſunt Elementa: Ignis, Aër, Aqua, Terra. Ignis eſt calidus & ſiccus, Aër calidus & humidus, Aqua frigida & humida, Terra frigida & ſicca. Idq́; de puris Elementis intelligi propriè debet.

Sunt ne igitur alia Elementa?

Duplicia ſunt Elementa: Pura uel ſincera, quæ nihil admixtum habent: Impura, quæ propter uſum animantium admixtionem recipiunt, cuiuſmodi noſtra ſunt elementa, de quibus hoc loco nihil agetur.

Quomodo Elementa, cùm ſint extremè contraria, in eodem corpore poſſunt coniungi, & conſiſtere?

In mixtione excellentia qualitatum Elementorum contrarietate retunditur, & languidior fit. Alioqui enim ſimul eſſe nullo modo poſſent.

Quomodo Elementa ſunt in mixtis, cùm nullum appareat?

Elementa manent in mixtis, non actu, ſed potentia, ut Ariſtoteles & Galenus docent.

Cur

Cur igitur quidam tradunt, corpora ex primarum qualitatum mixtura constare?

Accipiunt nomina qualitatum pro subiectis ipsis, id est, Elementis.

Quæ sunt primæ qualitates?

Caliditas, Humiditas, Frigiditas, Siccitas.

Cur dicuntur primæ?

Quia ex his nascuntur aliæ.

Quæ sunt aliæ?

Secundæ, ut leue, graue, durum, molle, asperũ, glabrum &c. Similiter et tertiæ, quas specificas uocũt, ut uis attrahendi ferrum in Magnete, facultas attrahendi paleas in succino.

Est ne alia qualitatum diuisio?

Est: Caliditas & frigiditas actiuæ, humilitas & siccitas, paßiuæ qualitates appellantur.

Nunquid restat de Elementis?

Duo sunt leuia, ut Ignis, Aër. Duo grauia, ut Aqua, Terra.

Quis est ordo Elementorum?

Ordinem sequentibus uersibus Ouidius describit:

Ignea conuexi uis & sine pondere cœli
Emicuit, summumq; locum sibi legit in arce.
Proximus est aër, illi leuitate locoq;
Densior, his tellus elementaq; grandia traxit,
Et pressa est grauitate sui circunfluus humor,
Vltima possedit, solidumq; coërcuit orbem.

Quomodo

Quomodo terra potest esse in medio, cùm animantia in ea habitent?

Ipsa quidem terra est in medio uniuersi, cæterùm propter utilitatē, & habitationem animantiū, quædam portiones aquis extant, non totum Elementum.

DE TEMPERAMENTIS.

Ex *Elementorū mixtura nascuntur temperamenta, quæ nihil aliud sunt, quàm qualitates ex* Elemento*rum mixtione, in corporibus mixtis productæ.*

N*ouem sunt temperamenta.* V*num temperatum, octo distemperata.* Temperatum *siue εὔκρατον, propriè dicitur, in quo nulla qualitatum sensibiliter alias excellit.* Dicitur *& aliquando quod in quoq; genere est perfectißimum, ubi non æqualitas, sed harmonia qualitatum inter se spectatur.* Di*stemperatū siue δύσκρατον, in quo una uel duæ qualitates excedunt.* Hu*ius sunt octo species.* Q*uatuor simplicia, ut calidum, frigidum, humidum, siccum.* Q*uatuor composita, ut calidum & siccum, calidum & humidum, frigidum & humudum, frigidum & siccum.*

Exemplum de plagis terræ, ex Ouidio, in quo natura temperamentorum clarè cerni potest.

V*tq; duæ dextra cœlum, totidemq; sinistra*
P*arte secant zonæ, quinta est ardentior illis.*

Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura Dei, totidemq; plagæ tellure premuntur.
Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu.
Nix tegit alta duas, totidem inter utranq; locauit,
Temperiemq; dedit iusta cum frigore flamma.

Plura exempla in textu de humoribus, de partibus Anni, de signis zodiaci, de partibus mūdi, de planetis et ætatibus animalium, postea enumerabuntur.

Quid est, quod dicitur, potentia, seu uirtute calidum?

Dupliciter à Physicis dicitur aliquid calidum, frigidum, humidum, aut siccum. Actu uidelicet & potentia. Actu idem est quod tactu. Sic ignis dicitur calidus, Aqua humida, glacies frigida, terra sicca &c. Sol uerò est calidus potentia, id est, habet uim calefaciendi. Luna est humida, id est, habet uim humectandi. Ita quoq; uinum, ruta, mel, pulegium, potestate calida esse, id est, uim calefaciendi corpora nostra habere, dicuntur.

Quomodo temperamenta cognoscuntur?

Temperamenta hominum cognoscuntur ex moribus, affectibus, colore, habitu corporis, & similibus. Plantarum uerò crases, ex qualitatibus secūdis, id est, saporibus, odoribus, præcipuè deprehenduntur.

Sunt ne temperamenta mutabilia?

Sunt. Mutantur autem uel naturaliter, uel ratione uictus aliena. Conueniens enim conseruat temperamentum. Naturaliter, ut in ætatibus. Videmus enim iisdem hominibus diuersam diuersis ætatibus esse temperaturam. Victus prauus corrumpit bonam naturam, bonus malam emendat. Hinc sequitur duplex esse temperamentum. Natiuum, & aliunde accersitum, de quo commodißimè à ueteribus dictum est, Consuetudinem esse acquisiticiam naturam.

DE HVMORIBVS.

HVmores sic inde trahunt à quolibet unum,
Quos tamen in uersu uix cecinisse queas.
Terra Melancholicis, aqua confertur pituitæ: *Qualitates humorum ad Elementa.*
Aër Sanguineis, ignea uis choleræ.
Sicut enim sicca est natura & frigida terræ,
Vis elementaris friget & humet aqua.
Sicut & humorem calido commiscuit aër,
Siccus ut est ignis, uimq; caloris habet:
Sic uis humorum respondet quælibet uni,
Ordine si repetas, quo mihi dicta uides.
Vena tumet, rubet, & ridet, lasciuit & audet, *Sãguinis abundantis signa.*
Cui nimius pleno corpore sanguis inest.
Nil sapit, os humet, fastidit, somniat undas, *Phlegmatis.*
Humida cui nimio phlegmate membra madent.
Tinnit ab aure, sitit, furit, ardet, somniat ignes, *Choleræ.*
Cui nimius choleræ corpora sanguis agit.

Melancholiæ.

Anxius, & niger est, timet omnia tristia, dormit,
Mole sua bilis quem nimis atra premit.

ANNOTATIONES.

Elementis respondent qualitatibus humores, Bilis igni, sanguis aëri, pituita aquæ, nigra bilis terræ.

Sunt autem humores corpora liquida, ex alimentis in epate nutriendi corporis gratia genita. Vnde per uenas tanquàm per canales in omnes corporis partes deriuantur.

Sanguis est calidus & humidus, ruber, dulcis, & mediocris substantiæ; hinc sanguinei dicti sunt, colorati, carnosi, hilares, ἤθικοι. In summa, omnium horarum homines.

Pituita est frigida & humida, insipida substãtia, & colore similis albuminis oui. Pituitosi, siue phlegmatici, sunt albi, leuiter tincti, obesi, sanguineis paulò inferiores moribus, & adfectibus. Est enim pituita nihil aliud, quàm sanguis imperfectè coctus.

Bilis est calida & sicca, tenuißimæ substantiæ, colore flauo, & sapore amaro. Efficit homines pallidos, graciles, & agiles, leues, patheticos.

Melancholia est frigida & sicca, craßioris substantiæ, nigra, acerba. Melancholici sunt nigro colore, corpore crasso, & tardo, cogitabundi, constantes, & laborum patientes. Atq; hæc de bonis & naturalibus humoribus tantùm intelligi debent, non de uitiosis.

Sunt

Suntne igitur alij humores ?

Sunt. Nam *humores prædicti quando degenerant, id est, quando cōditiones suas amittunt, dicuntur innaturales, seu uitiosi.* Nō *enim nutriunt amplius, sed malorum morum & morborum causæ sunt.*

Cur Aristoteles tantùm sanguinem, & non reliquos etiam humores nutrire tradit ?

Aristoteles omnes humores coniunctos in uenis sanguinem uocat. Separatos autem à sanguine, excrementa appellat. Excrementa *autem nulla nutriunt.*

Quomodo separantur ?

In generatione humorum bilis superflua segregatur à reliquis humoribus, & deriuatur in uesiculam fellis. Melancholia *inutilis in lienem transponitur. Aquosa superfluitas cum sanguine in renes transfertur.*

Humorum uitiosorum species sunt sanguis biliosus, phlegmaticus, aut melancholicus.

Pituita aquosa, salsa, acida, crassa, uitrea.
Bilis, uitellina, uiridis, æruginosa.
Melancholia, adusta, acida.

Materia humorum est cibus & potus. Ex *bono cibo & potu fiunt boni humores, ex uitiosis mali & uitiosi humores gignuntur.*

QVALITATES HVMORVM ad horas Anni, & signa zodiaci.

QVattuor humores hos anni quattuor horis
Confer, & obliquæ signa timenda rotæ.
Aestati choleram dabimus, tria signa sequentur
Ignea, nempe aries, tensa sagitta, leo.
Autumni nigra bilis erit, tria signa sequentur
Terrea, bos uector, candida uirgo, caper.
Vere tumet sanguis, sed et hunc tria signa sequentur
Aërea, ut gemini, lanx uaga, fusor aquæ.
Phlegma æquabit hyems, per aquatica signa notãdũ
Hæc sunt, retrogradus, trux nepa, piscis iners.

Humores ad regiones & ætates.

Nunc age limitibus conclusum quattuor orbem
Aspice, & ætatum quamlibet inde nota.
Sanguine Sol oriens pueriles uendicat artus,
Firma dies choleram, læta iuuenta tibi.
Phlegmatis Occasus plenam facit esse senectam,
Bile nigra Boreæ sed plaga decrepitos.
Ver uelut infantes natiuo germine pascit,
Quos placido spectans sidere Phœbus amat.

Planetæ, ætates & horæ anni.

Aetatem iuuenum notat æstas, Martis in illa
Exultant uires, & furor arma mouet.
Maturos autumne senes, quos frigida luna
Instabili uarios lumine semper agit.
Decrepitos hyemis natura æquabit inertes,
Quos uorat immiti falcifer ore senex.

Hæc exempli potius causa recensentur, quàm quòd propriè huc pertineant, Ideoq; non explicãdæ

DE

DE MEMBRIS, VIRTVTIbus, Actionibus, & Spiritibus.

QVattuor hinc etiã nostræ instrumenta salutis
Seruare arcana relligione decet.
Pectoris in fontem sanguis tenuißimus intrat,
Nobilis assurgens spiritus inde uenit.
Viribus inde uigent toti uitalibus artus,
Dicitur hic reliquis purior esse uapor.
At cerebro uelut ætherea dominantur in arce
Effectus, uirtus quos animalis habet.
Epatis & stomachi uis naturalis ab oris
Effluit, omnigeni sanguinis ista domus.
Ergo spiritui sanguis deseruit, at ille
Sensibus, hi famulos ceu rationis agunt.
Quisquis amas igitur studiorum intendere curis,
Hæc tanta in promptu commoda semper habe.
Qualis enim sensus de sanguine spiritibusq;,
Talibus ingenium uiribus esse solet.
Custodire potes medicas hæc firma per artes,
Si frugi uitam uiuere fortè uelis.
Hæc tibi Palladio quicunq; ex puluere laudem
Quæris, habe, sed nos utraq; turba manet.

Spiritus.
Virtus uitalis.
Animalis.

SCHOLIA.

Pectoris in fontem. Cor.
Nobilis spiritus. Vitalis spiritus.

HIC LOCVS EX MARSILIO FICI-
no sumptus est, quem quia elegans est, subijciam.

Instrumentũ eiusmodi spiritus ipse est, qui apud Medicos uapor quidã sanguinis purus, subtilis, calidus, & lucidus definitur. Atq; ab ipso cordis calore ex subtiliore sanguine procreatus uolat ad cerebrũ, Ibiq; animus ipso ad sensus tã interiores, quàm exteriores exercendos assiduè utitur. Quamobrem sanguis spiritui seruit, spiritus sensibus, sensus deniq; rationi. Sanguis aũt à uirtute naturali, quæ in iecinore stomachoq; uiget, efficitur. Tenuiss. sanguinis pars fluit in cordis fontẽ, ubi uitalis uiget uirtus, inde creati spiritus cerebri (& ut ita dixerim) Palladis arces ascendunt, in quibus animalis, id est, sentiendiq; mouendiq; uis dominatur. Itaq; talis plurimum fermè cõtemplatio est, quale sensus ipsius obsequium. Talis autem sensus, qualis & spiritus. Spiritus uerò talis, qualis est sanguis, & tres illæ uires, quas diximus. Naturalis scilicet, uitalis, & animalis, tales ut sunt à quibus, per quas, in quibus spiritus ipsi concipiũtur, nascuntur, atq; fouentur.

De membris, siue partibus corporis.

Partes corporis solidiores membra dicũtur. Membrorum quædã sunt simplicia, similaria ab Arist. dicta, ut carnes, ossa, cartilagines, uenæ, arteriæ, nerui, chordæ, ligamenta, panniculi. Dicuntur autem similaria, quòd partes totius appellationem retinent, ut

pars

pars carnis dicitur caro. Reliqua quoniam ex his componuntur, composita uel dißimilaria adpellantur, nec horum partes adpellationem totius retinent. Nam pars manus non dicitur manus, nec pars pedis pes dicitur. Horum quædam quia præcipuis ac principalibus actionibus seruiant, membra principalia appellantur, ut cerebrum, cor, epar. Quædam minus principalia, ut uentriculus, pulmo, splen, & reliqua.

Quæ est materia membrorum?

Materia membrorum propinqua, non est eadem. Quædam enim ex semine fiunt, & ideo spermatica dicuntur, ut omnia simplicia, carne excepta. Quædã ex sanguine ortum habent, unde sanguinea appellantur, ut caro, & membra carnosa.

De uirtutibus.

Constat hominem ex corpore, & anima conflatũ esse. Quæ ad corpus pertinent, breuiter & summatim ostendimus. Restat igitur ut de altera, nobilißima ac præstãtißima hominis parte, aliquid dicamus. Non autem hîc de essentia animæ agemus, sed tantùm potentias, & actiones eius enumerabimus. Sunt autem uirtutes, siue potentiæ qualitates membrorũ, per quas anima agit.

Diuersæ sunt potentiarum diuisiones. Alij quinq;, alij duas, alij, quos nos sequemur, tres numerant, uidelicet, naturalem, uitalem, & animalem.

De uirtute naturali:

Naturalis, quæ actiones naturales in corpore efficit, est triplex: Generatiua, Augmentatiua, & Nutritiua. *Sedes eius est epar.*

Generatiua *est uis naturalis, insita corporibus, sibi simile producens.* Hæc *est necessaria ad speciei conseruationem.* Incipit *autem certo tempore, et in postrema ætate desinit.* Materia *siue obiectum eius est, semen & sanguis maternus.* Organa *propria, partes genitales in utroq; sexu.*

Augmentatiua *est uis, qua corpora secundũ omnes dimensiones æqualiter extenduntur, & iustã quantitatem acquirunt.* Hæc *cum ipsa uita incipit, & ubi ad statum uentum est, cessat.* Materia *siue fomenta incrementi sunt alimenta, quæ dum crescit animal, copiosiora quàm per reliquum uitæ cursum esse oportet.* Nam *non solùm ut nutriatur corpus, uerùm etiam ut aliquid ipsi adijciatur, necesse est.* Ideo & *calor natiuus eo temporis spacio copiosior, ut materiæ multum uincere poßit.* Quare Hipp. *rectè scribit:* Qui *crescunt plurimum habent calidi innati.* Plurimo *igitur indigent alimento &c.*

Nutritiua *est, quæ alimentũ corpori aßimilat, siue quæ alimentum in substantiã corporis cõuertit.* Hæc *ad indiuidui cõseruationem est necessaria, & per omnem uitã durat.* Nã *omne quod uiuit, nutriatur oportet, ut* Aristot. *ait.* Organa *huius facultatis sunt:* Os, *gula, stomachus, epar, uenæ.* Obiecta *sunt, alimenta.*

Quo-

Quomodo fit nutritio?

Vt nutritio fiat singulis particulis, quatuor aliæ facultates quasi ministræ additæ sunt: una membro familiare nutrimentum attrahit: altera attractu tantisper dum alteretur, detinet. Tertia alterat. Quarta superfluum alienum per certos meatus excernit. Vocantur igitur, Attractiua, retentiua, alteratiua, & expulsiua.

Quomodo alimenta corpori assimilari possunt, cùm sint planè dissimiles substantiæ?

Alimenta cruda non ut ingeruntur, nutriunt, sed præparantur priùs, & aliquoties recoquuntur, ut quidquid alienum est à bono, separetur. Demum adponuntur partibus, adglutinãtur, atq; aßimilantur. Ita fit nutritio.

Sunt ne plures coctiones?

Tres sunt coctiones. Prima fit in stomacho. Secunda in epate. Tertia in singulis membris.

Quomodo?

Ex cibo & potu ingesto uirtute & calore stomachi, uicinorumq; membrorum, fit tanquam puls quædam, χύλον Græci uocant. Hæc est prima coctio. Chylus deinde è stomacho & intestinis per uenas meseraicas in Epar transuehitur, ibiq; in sanguinem cõuertitur. Hæc est secunda concoctio, & sanguificatio adpellatur. Sanguis ex epate in uniuersum corpus distributus ex uenis exudat, et in cauitatibus mem

brorum ceu ros quidam continetur. Quæ humiditas propriè nutrimentum est, quod dum adponitur, agglutinatur, & aßimilatur, nutritio fit. Est enim nutritio perfecta alimenti aßimilatio.

De uirtute uitali.

Vitalis est, quæ corpori uniuerso uitalem calorem præbet. Huius sedes est cor, à quo per arterias cum sanguine in omnes partes corporis distribuitur. Huc & adfectus pertinent, de quibus in secunda parte agetur.

De uirtute animali.

Virtus animalis est, quæ corporis partibus uim sentiendi & mouendi præstat. Huius domicilium Galenus, contra Aristotelem, cerebrum esse, rectè affirmat. Sicut autem epar uenis, cor arterijs, ita cerebrum neruis, ceu canalibus quibusdam utitur, per quos sensum & motum omnibus partibus reliquis impartit. Sensus sunt duplices: Exteriores, & interiores. Exteriores quinque: Visus, auditus, gustus, odoratus, tactus. Interiores: Imaginatio, cogitatio, seu ratiocinatio, & Memoria.

Motus animalis est, quo membra seu partes corporis pro arbitrio mouentur. Organa eius sunt musculi.

De Actionibus, & Spiritibus.

Tot sunt actiones & spiritus, quot uirtutes, scilicet, Naturales, uitales, & animales. Virtutes enim actionum causæ sunt, spiritus instrumenta.

Sunt

Sunt autem spiritus purißimæ & tenuißimæ substantiæ, in principalibus membris, ut sint organa uirtutum, genitæ. Vulgo spiritus definitur esse uapor sanguinis purus, subtilis &c.

Hæc de prima parte dixisse sufficiat. Qui integram de constitutione hominis noticiam habere cupit, legat Commentarium D. Philippi de Anima, in quo totus homo egregiè describitur.

SECVNDA PARS.

PRAECEPTA GENERALIA, de sanitate tuenda, siue de usu rerum, ad uitam necessariarum.

ERgo age quisquis eris, siue ista sequenda putabis,
Seu minus, & forsan splendidiora petis.
Hîc quoq; ne dubita, pars est tibi iusta salutis,
Parua etiam magnum plurima pondus habent.
Sit tibi præcipuè simplex & recta uoluntas,
Velle animi sana conditione frui.
Quo si non ualeas, frustra seruare laboras
Corpora, quæ medicæ munera mentis egent.
Omnia curarum fomenta relinque, nec ullis De affectibus animi.
Pectus habe pressum sollicitudinibus.
Anxia mens non ipsa sibi non rebus agendis Tristitia.
Constat, ab hac uitium corpora sæpe trahunt.

Hinc

Hinc uariæ pestes, morborum hinc mille figuræ,
Crede animum nostri corporis esse ducem.
Sæpe graues ista ueniunt ex arce labores,
Sicut ab aëreis pestilis aura plagis.
Lætitia. Quære igitur, sed honesta, tuis solatia curis,
Quæ tibi nec somni, nec loca sola dabunt.
Vtere conuiuis non tristibus, utere amicis,
Quos nugæ & risus, & ioca salsa iuuant.
Quem non blanda iuuent uarij modulamina cantus?
Hinc iecor, & renes, ægraq; corda stupent.
Nam nihil humanas tanta dulcedine mentes
Afficit, ac melicæ nobile uocis opus.
Tange lyram digitis, animi dolor omnis abibit,
Dulcisonum reficit tristia corda melos.
Ira. Ira animis letale malum, procul absit, ab illa
Mors sæpe ingenijs corporibusq; uenit.
Turbat enim, cæcaq; animos caligine uersat,
Et sensus tota cum ratione rapit.
Sicut enim tactæ ferro candente lacunæ,
Sic motu calidi sanguinis ira fremit.
Hinc subitis fractos accendit febribus artus,
Sæpius his etiam deteriora facit.
Hinc flauam ratione omni præuertere bilem
Conuenit, & causis non statuisse locum.
Gaudiũ. Quid referam nimio gliscentia gaudia motu?
Metus. Quid referam nimio pectora fracta metu?
Cætera quid referam, quæ mentes plurima nostras
Euertunt, miseris noxia corporibus?

SCHO-

SCHOLIA.

Velle sana conditione frui. *Primus gradus tuendæ sanitatis est, uoluntas & studium rectè ualendi, idq; de mente præcipuè intelligendum est. Nam corpus sequitur mentem tanquam ducem. Conandum igitur est, ut sit mens sana in corpore sano.*

Omnia fomenta. *Occasiones.*

Non rebus agendis constat. *Ideo poëta inquit:*

Carmina proueniunt, animo deducta sereno.

Pectus. *Cor. Quia cor est sedes affectuum, in pectore collocatum.*

Nec somni. *In somno enim diurnæ cogitationes recurrunt, & ob oculos uersantur.*

Loca sola. *Solitudo enim auget atram bilem, & effectus eius, nempe tristitiam & metum.*

Quære igitur. *Remedium tristitiæ. Præstantissimum remedium est gaudium. Contraria enim contrarijs, ut Medici scribunt, curantur & depelluntur.*

Sicut enim. *Alludit ad definitionem Iræ:* Θυμός ζέσις ἐστὶ τοῦ περὶ τὴν καρδίαν θερμοῦ.

Deteriora. *Epilepsiam, apoplexiam, furorem, podagram, & subitaneam mortem.*

Hinc atram. *Flauam legendum. Remedium, uel potius cautio, siue præseruatio iræ. Quia enim corpora, in quibus bilis abundat, facilè incenduntur: Ideo cauendum, ne materia apta inflammationi in corpore reperiatur. Natura enim non agit nisi in*

materiam

materiam prædispositam. Deinde *occasiones, siue obiecta diligenter cauenda sunt. Id enim est, quod hîc dicit, causis non statuendũ esse locum. Sunt enim hæ duæ causæ iræ: Corpus biliosum, & obiectum, bilem mouens & incendens.*

Cur Aristoteles iram probat. Scribit enim: Ira non ut duce, sed ut milite utendum?

Hîc immoderata ira, quæ hominem prorsus præcipitat, improbatur. Aristoteles loquitur de heroico illo impetu, quo homines feruntur ad obiectum arduum persequendum, ratione monstrante uiam.

ANNOTATIONES.

Exposuit breuiter, quomodo & ex quibus rebus humanum corpus componatur: Nunc *quo pacto conseruetur, ostendet.* Vocatur *hæc doctrina, ut suprà dictum est, ὑγιεινή, & in sex rebus consistit, in quibus explicandis ordinem* Autoris *sequemur.*

DE ADFECTIBVS.

Adfectus sunt motus cordis, prosequentes aut fugientes obiecta sensibus oblata, ut Amor, *odium, spes, metus &c.*

Duplices sunt adfectus. Quidam *sunt subiti & uehementes motus: quidam diuturni. Subiti motus reliquis sunt perniciosiores.* Nam *omne subitaneum et uiolentum est naturæ inimicum.* Constat *autem*

multos

multos terrore, ira, gaudio repentino esse extinctos, aut grauißimis morbis correptos. Ex diuturnis *alij sunt moderati, ut moderatum gaudium. Alij immoderati, ut odium, inuidia.* Inter omnes *affectus moderatum gaudium naturæ maximè conueniens & amicum est.* Nam *calorem naturalem excitat, spiritus uitales & animales temperat, & puriores reddit, atq; uerißimum est, quod* Propheta *scribit:* Cor *lætum exhilarat mentem, tristitia tabefacit ossa.*

A*dfectuum alij alios humores cient.* Metus *& tristitia* Melancholiam *mouent,* Ira *flauam bilem,* Gau*dium sanguinem, & spiritus à corde in totum corpus diffundit.*

Rectene humores mouere dicuntur affectus?

Non. Verùm *aliæ naturæ siue temperaturæ, alijs affectibus, propter humoris cognationem, magis obnoxiæ sunt, sicut aliæ materiæ alijs faciliùs ignem concipiunt.* Biliosi *reliquis faciliùs commouentur.* Melancholici *leui occasione, timore aut mœrore afficiuntur.* Sanguinei *ad gaudium sunt prompti, &c.* Discamus *igitur primùm omnium nos ipsos, hoc est, nostram naturam cognoscere, ut affectus recta ratione gubernare, & mala quæ ex immoderatis aut uiolentis adfectibus nascuntur, uitare queamus.* Sunt *etiam aliorũ naturæ nobis cognoscendæ, maximè illorum, quibus cum uiuimus, ut nos ad*

mores

mores ipsorum attemperare, eosq; arte tractare sciamus. Oportet enim nos amicorum mores nosse, non odisse, ut in prouerbio dicitur.

DE HIS QVAE AD CORpus pertinent.

DE EBRIETATE.

Quòd si uis constare animo, studia, atq; labores
Corporis obserua cum ratione tui.
Immodici sensus perturbat copia Bacchi,
Inde quis enumeret, quot mala proueniant?
Corporis exhaurit succos, animiq; uigorem
Opprimit, ingenium strangulat atq; necat.
Sed priùs in sicca gaudebit piscis arena,
Bacche oblite modi quàm tua damna canam.
Ergo modum præscribe Deô tam grande nocenti,
Cùm uenit accepta conditione, iuuat.

SCHOLIA.

Perturbat. Quia turbat spiritus organa sensuum. Est enim ebrietas perturbatio uirtutis animalis, & omnium actionum eius, ab immoderato potu profecta. Cato dicere solebat, Ebrietatem nihil aliud esse, quàm uoluntariam insaniam.

Corporis exhaurit succos. Ebrietas replet corpus succis, Ergo non exhaurit.

Respon. Replet crudis & uitiosis humoribus, natiuam

natiuam autem humiditatem opprimit, & bonum ſanguine debilitato calore inſito, generare facit.

Accepta conditione. *Modicè, quantum neceſſe eſt. Nullum enim præſtantius magisq́; conueniens alimentum uino homini natura producit.*

Effectus & incommoda ebrietatis, pete ex Plinio lib. 14. ca. de uitanda ebrietate.

PROBLEMATA QVAEdam de Ebrietate.

I. Quare alij alijs citiùs inebriantur?

Quibus debile caput eſt, facilè inebriantur. Deinde, qui calidam & humidam cerebri temperaturam habent, ijs etiam ex facili caput impletur.

II. Quare quidam ebrioſi ſobrijs diutius uiuunt?

Id bonitati naturæ adſcribendum eſt, quæ uincit incommoda potus. Quamuis autem ſatis diu uiuunt, multa tamen mala ob aßiduam potationem experiuntur. Quòd ſi eiuſmodi homines continentem uitam uiuerent, non dubium eſt, quin longißimam uitæ metam ſine animi corporisq́; incommodis conſecuturi eſſent.

III. Quare ebrioſi, cùm à potu abſtinent, malè habent & grauiter offenduntur?

Quia natura non potest ferre subitas mutationes. Etsi enim ebrietas à natura aliena est, & ebriosorum constitutio siue temperatura, uitio non caret, tamen longa potandi consuetudine naturalis esse cœpit. Itaq; subita atq; inconsueta abstinentia ebriosus læditur. Rectè igitur Plinius capite de ebrietate, scribit, Consuetudine augeri bibendi auiditatem. Sicut enim hydropici quò plus potant, eò magis sitiũt, ita etiam ebriosis potando magis magisq; sitis excitatur.

IIII. Quare inter potandum alij rubent, alij pallent?

An quia in quibus calor debilis est, opprimitur, in quibus autem multus & fortis est, inflammatur potu uini.

V. Quomodo uinum, cùm calefaciendi facultatem habeat, producit adfectus frigidos, ut cruditatem, pallorem?

Vinum modicè sumptum, auget calorem natiuum, & bonum sanguinem gignit. Verùm cùm modum excedit, naturalem calorem uel obtundit uel resoluit atq; debilitat. Debilitato calore, frigidi & crudi humores in corpore coaceruantur, unde frigidi morbi originem trahunt. Est autẽ pallor nota frigiditatis.

VI. Quare ebrij balbutiant?

An quia humectato & multa humidtate grauato cerebro, nerui musculiq; linguæ relaxati minus ad motum idonei sunt.

DE PRAESERVATIONE & remedio Ebrietatis.

QVoniam uerò etiam temperantes interdum largius bibunt, aut ab alijs in conuiuijs coguntur, ut plus solito se potu obruant, uisum est quasdam cautiones recensere, uel ut ne facilè inebriemur, uel ne ab ebrietate insueta nimium lædamur. Primum igitur est, ne multum inter bibendum comedamus, cibus siquidem distributionem potus ad uesicam, remoratur. Deinde, ne in principio auidè & confertim pocula exhauriamus, sed paulatim. Tertiò cauendū, quantum fieri potest, ne uaria potuum genera commisceantur, nisi alius potus alium temperet, ut bibentes uina fortia, per interualla Embecensem cereuisiam adiungere, maximè in fine, possunt. Hæc enim calorem uini mitigat. Potest & aqua admisceri. Sunt qui pharmacis, Græci ἀμέθυσα uocant, utuntur ad arcendam ebrietatem. Alij amygdala amara, alij ius braßicæ conditæ præsumunt. Dicitur absinthium manè ieiunis epotum, arcere ebrietatem. Item myrti flos, & myrrha, & ruta trita ex aqua. Cæterùm aptißimum ebrietatis remedium uomitus est, si modò corpora ad uomendum idonea sunt, aut assuefacta. Ita enim quidquid in uentriculo continetur, reijcitur, & cruditas prohibetur. Qui uomere non possunt, bibant copiosè frigidam aquam, si modò uentriculus illam non auersetur, aut loram cereuisiæ. Hæc siquidem calorem uini temperant. & crapulam im-

Large biben-tibus seruanda.

pediunt. Deinde quiescendum, & somno quod reliquum est, concoquendum, atque conficiendum, nec surgendum nisi crapulam discussam esse intellexeris. Hinc constat, non rectè illos facere, qui temulenti discurrunt, & crudum corpus uehementer dimouent. Postridie non mox ingurgitandus est alius potus, ut quidam docent, hesternam crapulam matutina repletione curandam esse, sed corpus primùm omnium superfluitatibus exonerandum, deinde placidè exercendum. Nec manè uinum sublimatum cruditatis tollendæ gratia bibendum, sed potius aliquid zingiberis conditi assumendum. Quibus sitis molesta est, & fauces arent, his paretur iusculum ex aqua, uel tenuißima cereuisia. Quidam lauari & fricari caput curant, quorum morem non probo. Nam hoc pacto magis impletur & grauatur, nisi cruditas omnis sublata fuerit, ita demum rectè utrunq; fiet, ut reliquiæ uaporum discutiantur. Sed pergam ad alia.

DE EXERCITIIS.

Frictio. *MAnè relucentes caput erecturus in auras,*
Et caput & corpus leniter omne frica.
Lotio. *Tum porrò manibus puro de fonte lauatis,*
Os, oculos, dentes purior unda lauet.
Cõptio. *Tum comato uagos, sed eburno pectine, crines,*
Hæc cerebro res est non medicina leuis.
Exercitiũ. *Dum licet, ante cibum stomacho sine pondere corpus*
Omne bis exerce, sed modicè & leuiter.

SCHO-

SCHOLIA.

Sine pondere. *Vacuo, ieiuno.*

Bis. *Ante prandium, & ante cœnam.*

Sanitas absque exercitijs consistere aut durare non potest, sicut ignis sine uentilatione euanescit. Sunt autem exercitia animi uel corporis motus uehementiores, ualetudinis causa suscepti. Ex his *quæ corpus mouent ad sanitatis tutelam, reliquis sunt accommodatiora.* Excitant *enim, augent, & custodiunt calorem naturalem, alimenti digestionem in corpus, adiuuant, membra corroborant, atque superfluitates expellunt. Si uerò modum excesserint, corpus uehementer exiccant, & bilioso humore implent, unde febres atque calidi affectus nascuntur. Si intra modum subsistunt, frigidum pituitosumq; corpus efficiunt. Quod deinde obstructionibus uiscerum, comitiali morbo, apoplexiæ, destillationibus & fluxionibus obnoxium est. Priusquàm autem de generibus exercitiorum dicam, quo tempore sint exhibenda, ostendam.*

De Tempore.

Pleriq; hominum in ea sunt opinione, corpus à cibo mouendum esse. Ita *enim fore putant, ut is melius considat in stomacho, & excitato calore faciliùs concoquatur. Quæ opinio erronea ac perniciòsa est.* Nam *motus repleto stomacho uehementior alimentum assumptum traijcit & expellit, non sistit.* 1.
Relaxat *enim orificium uentriculi inferius.* Ideo *non*

ſatis fideliter ſibi commiſſum alimentum detinere,
2. *multò minus concoquere poteſt.* Deinde diſtra-
hit calorem, eumq́; ab officina coctionis in totum corpus diſpergit, unde (etiamſi ſtomachus probè clauſus ſit) mala & imperfecta coctio ſequitur.
3. *Ad hæc motus à cibo, quod grauiſsimum eſt, non ſolùm calorem diſtrahit, ſed etiam crudum alimentum è uentriculo in omnes animalis partes digerit atque diſtribuit.* Teſtatur etiam experientia,
4. *multa incommoda intempeſtiuas corporis motiones ſequi:* Laßitudinem totius corporis, ſitim, dolores capitis, caliginem oculorum & mentis. Exhalant enim è uentriculo non probè clauſo crudi & craßi uapores, qui ſpiritus animales turbant. Poſtremò uidemus bruta animalia ſine ullo monitore paſta quieſcere. Ex quibus omnibus ſequitur, à cibo quieſcendum potius, quàm exercitijs uacandum. Quod cùm ita ſit, non uulgi opinionem, ſed doctißimi Hippocratis conſilium, tanquam oraculum, ſequi debemus, qui ſcribit: Labores cibos antecedant.

Cur igitur poſtea dicitur, A cibo ambulandum?

Non omnis motus eſt exercitium, ſed uehementior tantùm, ut dictum eſt, is improbatur. Leuis ambulatio non eſt exercitium. Quare eo tempore paulatim ambulare aut ſtare, non eſt alienum. Hoc enim pacto alimenta ingeſta conſident, & melius uniuntur.

untur. Quare uentriculus rectiùs clauditur, suumq; officium facit.

Cur quidam, qui uehementer se sumpto cibo mouent, non offenduntur, sed plurimùm se iuuari dicunt?

In causa est longa consuetudo, quæ res etiam naturæ aduersas uincit familiaresq; efficit. Præstat tamen semper illa agere, quæ natura expetit, & quæ cum ratione consonant, quàm aliquid contra naturæ rationem suscipere, aut conari. Consuetudo enim seruire debet naturæ, non natura consuetudini.

De Frictione.

Ad exercitia frictiones quoque pertinent. Sunt autem frictiones leuißimæ exercitationes. Calefaciunt & aperiunt meatus corporis, reuocant calorem ab interioribus ad exteriora, & excrementorum insensibilem excretionem promouent. De generibus frictionum plura Medici tradunt, quos si libet consule. Hinc non obscurum est, quo consilio manè caput sit fricandum.

De Alimentis.

Hippocrates triplicia esse alimēta omniū animaliū scribit, cuius hæc sunt uerba: τὰ γὰρ σώματα *&c.*

Cur igitur hic autor aërem omisit, siquidem nutrimentum est?

Cur omiserit nescio. Sed Medici omnes primò loco in hac artis parte de aëre agunt, neq; immeritò.

est enim præcipuum alimentum, quo singulis ferè momentis ad uitæ sustentationem indigemus, quare nobis silentio non prætereundus.

De Aëre.

Rei rusticæ scriptores adeò curiosè aëris naturam expendunt, ut non habitandum esse nisi in loco salubri censeant. Hinc quidam primum gradum fœlicitatis esse dixisse fertur, bene habitare. Est autem aër optimus, qui prorsus est purus. Eiusmodi uerò fuerit, qui nec stagni, nec paludis halitu sit infectus, nec ex profundo specu pestilentem auram spiret, qualis circa Sardis & Hierapolim, aliubiq; terrarum uisitur: nec qui ex cloacis, quæ urbem aut numerosum exercitum purgent, uitium contraxit. Nec qui ex animalium, olerum, aut leguminum putredine, aut fimo coinquinatur. Nec qui ob stagnum uel flumen uicinum nebulosus est, nec qui editis undiq; montibus, in cauo loco clausus, nullū recipit perflatum. Suffocans enim putrisq; est, similis ei, qui in domibus quibusdam est inclusus, in quibus ob putredinem, & perflatus defectum, plurimus aceruatur situs.

De Odoribus.

Cognatus locus est de odoribus. Sicut autem fœtidæ res offendunt spiritus uitales, ita odorata suauiter recreant. Quapropter aër floribus atq; rebus odoratis temperandus est. Sed nunc ad reliqua alimenta ueniam.

De cibo & potu.

Alimenta

Alimenta dicuntur, quæcunq; corpori aßimilari, siue in corporis partes mutari possunt. Horum alia *(præter aërem) sunt liquida, alia solidiora.* Illa po*tus, hæc cibi uocantur.* In *ciborum assumptione consideranda, tempus, qualitas, quantitas, modus, uarietas, ordo &c.* De *quibus per occasionem dicemus.*

DE TEMPORE.

Expectandum appetitum.

PRandia non adeas, nisi amor te cogat edendi,
Et uacuum stomachum noueris esse cibo.
Peius enim nihil est humano in corpore, quàm si
Mistio discordans fiat uterq; cibus.
Vina sitim, comedenda famem spectare decebit,
Inuito stomacho qualiacunq; nocent.

SCHOLIA.

Nisi amor te cogat edendi. *Nisi uentriculus appetat.*

Prandia non adeas. *Non capias cibum.*

Et uacuum stomachum. *Non est ingerendus alius cibus, nisi prior sit confectus, & excrementa expulsa.*

Peius enim. *Ratio.*

Mixtio discordans. *Pugnans.*

Fiat uterq; cibus. *Crudus & semicoctus. Cùm enim cruda semicoctis miscentur, dißidiũ oboritur.*

Vina sitim. *Non priùs comedendum, aut bibendum, quàm neceßitas, id est, sitis & fames urgent.*

Inuito ſtomacho. *Non appetente. Illa enim ſtomachum ſubuertunt, quæ ſtomachus auerſatur.*

ANNOTATIONES.

De appetitu.

Duplex eſt ſenſibilis appetitus: Fames & ſitis. Fames eſt appetitus ſolidioris nutrimenti. Sitis eſt appetitus potus.

Cur dicis, ſenſibilis?

Omnia enim membra exhauſta nutrimentum ſibi familiare expetunt, uerùm ſine ſenſu. Sed orificium uentriculi, quod eſt ſubiectum famis & ſitis, dum ſentit defectum, alimentum adpetit.

Quomodo igitur fit adpetitus?

Galenus elegantiſsimè rationem, & diuerſitatem appetitionũ depingit, quem locum quia ualde eruditus eſt, ſubſcribã: Cùm quodlibet animal in ambientẽ aërem per cutem diſsipetur, principiò partes cuti ſubditæ inanes redduntur. At natiua harum facultas eſt (quemadmodũ in cõmentarijs de potentijs naturalibus demõſtrauimus) ut cibum ex uicinis partibus ad ſeſe alliciãt, ut impleatur id quod erat inane, mox illæ rurſus ex ſibi uicinis, ac tertio lòco eæ ex ſibi proximis. Ita ex proxima quaq; parte facto ſemper celeri tractu perinde quaſi in choro quopiã tãdem uenæ ad uentriculũ productæ inanes euadunt, quæ & conſucuerũt, & poſſunt cibũ ex uentriculo ad ſe cõuellere, ueluti ſtirpiũ radices in terrã demiſſæ. Quippe

tota

tota hæc actio cũ nõ sit animalis, sed naturalis, haud aliter in animalibus, quàm in plãtis perficitur. Igitur terra uentriculi uice plãtis tãtisper prõptum abundãtemq́; cibũ ministrat, quoad anni tempora naturalem temperiem seruauerint: ueluti si aliquãdo ob squaloris excessum humor ipsius exaruerit, stirpes quoq; ob alimenti penuriã exarescent. Animalibus uerò, utpote, quæ terræ (præter pauca quædã) non adhærent, fabrefecit natura uentriculũ, ueluti prõptuariũ quoddã cibi, quemadmodum stirpibus terrã. Addidit insuper facultatem, qua penuriã sentiret, ut animalia ad cibũ potionemq; excitata, eodemq́; tempore implerẽtur: uocaturq́; huiusmodi plenitudinis desideriũ appetentia. Hæc ortum habet à penuriæ sensu, cùm uenæ ex ipso uentriculo trahunt, ueluti mulgentes sugentesq́: uentriculus uerò huiusmodi suctionem non ferens, sed tãquàm diuulsus huius molestiæ remedium cibũ exquirit. Sic enim uenæ ad exhibitũ cibũ cõuersæ, iã ex ipso, non ex uentriculo, trahũt alimentũ. Accidit aũt post exhibitionem, ut simul atq; uenæ ad cibos se conuerterint, uentriculus quoq; trahat ex ipsis ad sese, quantum antea uenæ ab ipso detraxerãt. Igitur suctionis sensus est fames. Cùm igitur uentriculus non appetit, signum est membra nondum refectione indigere, sed satis alimentorum in promptu habere. Itaq; si quid tum ingeritur, grauatur natura, non iuuatur. Et rectè dicit Autor:

Inuito stomacho qualiacunq; nocent.

DE MODO, SIVE QVOTIES sit assumendus cibus.

Cibus. *Bis tibi quoq; die cibus est sumendus, at ille*
Sit bene conditus, sit leuis, & modicus.
Satietas. *Mœsta procul fugiant longæ fastidia mensæ:*
Sic pota ut sitias, sic ede ut esurias.

SCHOLIA.

Bis tibi. *Bis comedendum in die. Pueri autem et senes ab hac regula excipiuntur.* Nam pueri, quoniã *crescunt, plurimo, & propter uasorum exiguitatem crebro alimento opus habent. Senũ autem uires sunt debiles, calor est exiguus, paucis igitur fomentis egent, quæ crebrò potius quàm simul offerre oportet.*

Sit bene conditus. *Probè coctus uel præparatus, non crudus.* Ita *enim malim hunc locum intelligi, quâm de condimentis.* Nam *homini cibus utilißimus simplex, aceruatio saporum pestifera, & condimenta perniciosiora.* Difficulter *autem perficiuntur* Li.2.c.53. *omnia in cibis acria &c. autore* Plinio. *Adhæc non conueniunt condimenta omnibus naturis.* Nam *calidis & biliosis inprimis noxia sunt.*

Sit leuis. *Coctu facilis, εὐκατέργαστος.*

Et modicus. *Respectu caloris.*

Mœsta procul fugiant. *Nec cœna nec prã dium protrahi debent iusto diutius. Impeditur enim concoctio. Et illa occasione diu ob oculis obuersantibus*

tibus cibis, plus quàm par est ingeritur.

Sic ede ut esurias. *Nõ est ad satietatem usq; comedendum, sed quantum ualetudo postulat. Quoniam uerò plerũq; & plus appetimus quàm par est, & conspectu ciborum irritato appetitu, plus quàm necesse est ingerimus:* Ideo *consulunt autores, ut in tempore finem edendi faciamus.* Conueniunt *hæc cum Ouid.*

Néue diu præsume dapes, sed desine citra
Quàm cupias paulò quàm potes esse minus.

ANNOTATIONES.

De quantitate.

De *quantitate alimentorum uerißimum atq; utiliß. præceptum* M. *Cicero tradit, cùm scribit:* Tan*tum cibi & potionis adhibendum esse, ut uires reficiantur, non opprimantur.* Non *autem solùm immoderatis alimentis opprimuntur, & suffocantur uires, sed etiam defectu resoluuntur.* Quare *ex caloris quantitate quid facto opus sit, colligere oportet.* De*bet enim alimentum semper ἀνάλογον esse innato calori.* Hîc *uariat pro ætate, uitæ genere, tempore anni, cõstitutione cœli, & similibus.* Nam *qui crescũt, ob caloris copiam, copioso nutrimento indigent.* Sic *Athletæ quia reliquis calidiores sunt, liberalius etiam comedant necesse est.* De *tempore* Hipp. *scribit.* Ven*tres hyeme & uere natura calidißimi sunt, & somni longißimi.* His *igitur temporibus alimenta copiosiora*

ra

ra sunt exhibenda. Spirãte Borea animantia plus appetunt & concoquunt, quàm dum Auster spirat.

De qualitate.

Duplices sunt cibi: Quidam tãtùm nutriunt: quidam præterquàm quòd nutriunt, etiam alterant corpus. Illos simpliciter aut absolutè cibos, hos cibos medicamentosos uocant. Quidam enim calefaciunt, quidam refrigerant, quidam exiccant, quidã humectant, quidam aluum astringunt, quidam soluunt, alij flatuosi, alij flatus discutiunt, quod medicamentorum proprium est, de qua differentia in hoc opusculo nulla fit mentio.

De uarietate.

Varietatem ciborũ Medici iure improbant. Cùm enim non omnium eadem sit natura, necesse est coctionem diuersitate distrahi, quod Hipp. significare uoluit, dum scribit: Τὰ γὰρ ἀνόμοια στασιάζει. Huic consonat illud Aristot. Ποικιλία νοσώδης τροφῶν. Adde quòd uarietate uehementer gula irritetur, cùm simplicis & unius cibi facilè satietas homines capiat.

De ordine.

Cùm plerunq; fercula in una mensa diuersa ponantur, cõsiderandum quid primo loco sit sumendũ, quid ultimo. Conuenit autem inter omnes Medicos liquidiora, & quæ faciliùs concoquuntur, ante alios cibos assumenda esse.

Differentia inter potum & cibum.

Differt

Differt potus à cibo, quia illo citiùs nutrit. Id fit propter substantiæ tenuitatem. Citiùs enim penetrat, Ergo & citiùs alit. Est etiam uehiculum cibi, seu, ut Græci loquuntur, ὀχιμα τροφῆς.

Est ne aqua potus?

Triplex est potus. Vnus qui non nutrit, talis est aqua. Num non nutriendi causa, sed ut digestionem in corpus adiuuet, assumitur. Alius est qui nutrit, ut uinum, cereuisia. Tertius, qui non solùm nutrit, sed etiam alterat, ut uina, & cereuisiæ conditæ. Talis potus rectè medicamentosus adpellatur.

Est ne à potu inchoanda cœna, ut uulgo dicitur: De potibus incipe cœnam?

Non puto. Cùm enim diluendi cibi gratia sumatur, sequitur non priùs bibendum, quàm cibi sint assumpti. Scribit Galenus: Vina ieiuno stomacho sumpta plurimùm nocere.

Vtrum est salubrius, inter edendum bibere, aut finita mensa, sicut iumēta faciunt. Vnde Germani prandium equorum uocant, in quo nihil bibitur?

Affirmare rationibus nō possum, utrum melius sit. Sequar igitur uulgarem uersiculum: Inter prandendum sit sæpe parumq; bibendum. Quanquàm alterū quoq; non admodum improbo, maximè si tempore confir-

confirmatum eſt. Qui inter edendum bibunt parcius, & ſæpius faciunt, qui poſt cibum largius.

Cur igitur Medici prohibent poſt cibum bibere?

Prohibent *non immediatè, ſed dum clauſo ſtomacho concoctio inchoata eſt.*

Ergo nihil eſt bibendum poſt cibum?

Nihil niſi abſoluta prima coctione. Tunc enim nõ impedit naturam, ſed ut celerius χυλός *penetret, et ad epar perueniat, facit. Quod ſi citius ſitis urget, neceßitati & defectui ſuccurrendum eſt.*

De bellarijs.

Quæſtio hoc loco eſt de ſecũda menſa, ſiue de bellarijs, ad quam facilè eſt ex ſuperioribus reſpondere. Quæ facilè corrumpuntur ante cibum, quæ difficulter coquuntur, aut adſtringendi facultatem obtinent, poſt cibum aſſumere oportet. Cæterùm bellaria, quæ ex ſimilagine fiunt, concoctu difficilia, & mali ſucci ſunt, uiſceraq́; obſtruunt.

DE EXERCITIIS animi.

Studium à cibo.

NEc properè à menſa ſtudijs intenderis unquam,
Sed tribus, aut horis quattuor inde uaca.

SCHOLIA.

Nec properè. *Non ſtatim ingenium à cibo exercendum*

ercendum est. Si enim corpori perniciosus est motus uehemens, ut suprà diximus, multò magis animo.

Horis quatuor. Hoc intelligendum est de uehementioribus exercitijs, non de quolibet animi motu: Alioqui enim nimium temporis sine fructu studiorum periret.

Suprà diximus duplicia esse exercitia, Animi & corporis, de illis priùs tractatum, nunc de reliquis agit. Sunt autem exercitia animi, imaginationes, cogitationes, exercitationes memoriæ. Imò tota nostra studẽdi ratio potißimũ in ingenio exercendo cõsistit.

DE SOMNO MERIDIANO.

Quòd si fortè tibi quiddam dormire necesse est, Somnus à cibo.
Altera post epulas fluxerit hora uide.

SCHOLIA.

Si dormire necesse est. Duplex est somnus: Nocturnus & diurnus. Natura noctẽ quieti & somno destinauit, diem uerò laboribus & exercitijs. Igitur somnus nocturnus est naturalis. Diurnus uerò à natura alienus, & ab omnibus autoribus improbatur. Quia uerò negocia aut insomnia interdum istũ ordinem interturbant, & tamen quieti nihil detrahi oportet, interdiu, quod noctu neglectum, compensandum est. Ideo dicit: quòd si necesse est quiddã dormire. Non probat meridianum somnum, sed quid urgente neceßitate agendum sit, docet.

Quare noctu potius quàm interdiu dormiendum?

Primò, Quia, ut diximus, ordo naturalis, qui nequaquàm cõfundi debet, id postulat. Deinde quia nox frigida & humida est: Frigiditas autem & humiditas somnum inducit. Tertiò etiam ad conciliandum somnum, non parum tranquillitas nocturna facit. Simile enim simili gaudet & conciliatur. Turbæ autem somnum impediunt, interrumpunt, non accersunt.

DE QVIETE.

Otium. Otia perturbant stomachum, iuuat actio, ni sit
Nondum concocto turbidus ille cibo.

SCHOLIA.

Otia perturbant. Id est, lædunt.

Iuuat actio. Patet. Verùm otium nõ per se (nihil enim agit) sed ex accidenti stomachum offendit. Cùm enim non exercetur corpus, superfluitates colliguntur & coaceruantur. Vnde etiã stomachus grauatur.

Turbidus Occupatus, impeditus. Nã non est crudo existente cibo, exercitium adeundum.

Non solùm exercitia, sed etiam quies ad ualetudinem tuendam necessaria est Nam,

Quod caret alterna requie, durabile non est:
Hæc reparat uires, fessaq; membra leuat.

Vt elegantiß. poëta Ouidius scripsit, Est igitur effe-

ctus quietis, recuperare uires. Nam *aßiduus labor re soluit calorem, & uires exhaurit.* Ideo *interponitur quies, ut animal ad se redeat, ac durare queat.* Eleganter *igitur alternam quietem uocat.* Sicut *enim non semper laborandum, ita nec semper quiescendum.*

DE GENERIBVS EXercitiorum corporis.

Vtiliter uegetant uocalis uerbera linguæ,
Arma, pilæ, saltus, tessera, cursus, equi.
Qui bene concoxit, multo satis ille labori est,
Qui malè, præscripta se ratione gerat.

Exercitium.

Concoctio.

SCHOLIA.

Vtiliter uegetant. *Commodè exercent.*

Vocalis uerbera linguæ. *Clara lectio, huic cognata est cantatio.*

QVAESTIO.

Vtrum uectio uel equitatio sit salubrior.

Equitatio. *Est enim motus magis actiuus, & æqualis, uectione mouetur corpus uariè, & inæqualiter, nunc in hanc, nunc in illam partem, nunc celeriùs, nunc tardiùs, pro uiarum natura.* Hinc *fit, ut stante curru quasi uertiginem sentiunt qui uehuntur, quod equitantibus usuuenire non solet.* Est *tamen equitatio debiles pedes habentibus inimica.*

Equi. *Equitatio, hæc est debilibus pedibus & cruribus inimica.*

Multo satis ille labori est. *Aptus est grauioribus exercitijs.*

Præscripta *Leuius se exerceat.*

Hic locus ex C. Celso sumptus est, cuius uerba cùm plurimum lucis ad præsentem materiã adferant, subijciam. Prima autem eius curatio exercitatio est, quæ semper antecedere cibum debet. In eo qui minus labo rat, & bene cõcoxit, amplior. In eo qui fatigatus est, & minus concoxit, remißior. Commodè uerò exercent, clara lectio, arma, pila, cursus, ambulatio.

ANNOTATIONES.

Varia sunt genera exercitiorum. Quædam enim corpus & animum simul exercent, ut ludus paruæ pilæ, teste Gale. ars digladiatoria. Quædam solùm corpus, ut ambulatio. Ex his alia omnes corporis partes æqualiter mouent, quæ rectè uniuersalia dicuntur, ut gladiatoria. Alia tantùm quasdam partes, particularia dicta, ut lectio clara, ambulatio, remigatio, Lectio enim clara pectus mouet, ambulatio pedes et crura, remigatio brachia, & superiorem corporis partem.

DE CRAPVLA.

VT peccat, stomachum qui mole grauauit iniqua,
Sic plerunq; nimis continuisse nocet.

SCHO-

SCHOLIA.

Mole iniqua. *Nam ubi cibus præter naturam plus ingestus est, is morbum facit.* Hic Medici *faciũt duplã repletionem cibi.* Ad *uasa,& ad uirtutem.* Ad *uasa uocãt, cùm plus ingeritur, quàm stomachus aut cõmodè ferre, aut cõplecti potest, unde distentio, & aliorum uicinorum membrorum cõpreßio, & quo minus probè stomachus claudatur, sequitur.* Ad *uirtutem, cùm natura grauatur, id est, cùm non seruatur proportio cibi ad uires siue calorem.* Nam *etsi uentriculus oblatum alimentum facilè capit, tamen uires id uincere & concoquere non possunt.* Debilitantur *igitur uires, obtunditur calor, oritur cruditas, quæ est, ut* Mesue *scribit, morborum mater.* De *hac repletione* Autorem *nostrum intelligo, quanquàm de utraq; uera est sententia.*

ANNOTATIONES.

Rectè *uulgo dicitur:* Saluberrimum *esse uesci citra saturitatem, & impigrè laborare.* In *ijs enim duobus præcipuè tota ratio tuendæ sanitatis consistit.* Cùm *autem sanitas maximè sit secundum naturam, & συμμετρία quædam primarum inter se qualitatum, sequitur omne immoderatum, eò quod à natura alienum est, etiam sanitatem corrumpere.* Quare *crapula bonam corporis ualetudinem uehementer lædit, mentis actiones impedit.* Plenus *etiam uenter non gignit tenuem sensum:* Impedit *enim, debilitat, & op-*

primit calorem natiuum, ad quem alimenta respicere debent.

DE ABSTINENTIA, *siue Fame.*

Sicuti nimia repletio, ita quoq; nimia abstinentia naturæ inimica est, sed diuersa ratione. Hæc enim exhaurit uires, dissoluit calorem naturalem, natiuam humiditatem consumit, & corpora extenuat. Nam calor natiuus non potest esse ociosus, deficiente nutrimento in corpus agit, & bonos succos depascit. Optimum autem abstinentiæ genus est uesci citra saturitatem. Postulat tamen nonnunquàm necessitas, aut corporis dispositio, ut aliquandiu à cibo abstineatur. Fieri enim non potest, quin ex aßidua illa & quotidiana comestione, atq; exercitiorum intermißione, aliquid crudorum humorum in corporibus colligatur, ad quos conficiendos utile est certis temporibus, uel prandium, uel cœnam negligere. Nisi enim id fecerimus, aucta cruda materia tandem morbos producit. Possunt igitur cum magna utilitate talia corpora ieiunare. Calidis uerò & siccis naturis aduersiß. res est inedia. Quare ieiunia uitent.

DE BALNEIS.

Balneum *LOtus ubi exieris thermas, fuge frigora: pransus*
Stare potes, modicè, si libet, ire potes.

Stantis

Stantis enim cibus in stomacho consedit, euntis
Est eadem ratio, si pede tardus eat.

Quatenus standum eundumq́;.

SCHOLIA.

Thermas. *Hic impropriè ponit pro balneo artificiali.*

Fuge frigora. *Aërem frigidum. Duæ sunt causæ, quare à balneo calido frigus uitare oporteat. Prior, quia omnis subita alteratio est naturæ molesta & inimica. Altera, in balneo corporis meatus, πόροι dicti, relaxantur, atq; aperiuntur. Itaq; facilè frigidus aër rarefactum corpus penetrare atq; lædere potest.*

Cur igitur quidã, antequàm egrediuntur balneum, aqua frigida perfundunt corpus, idq́; plurimùm conducere experientia testatur?

Hoc eò fit, ut calor naturalis, circundante aëre calido, balneis & frictionibus dißipatus, inq́; totum corpus distractus, recolligatur, & ad originem repellatur. Itaq; perfusio tantùm momentanea est. Ad hæc aqua ob craßitudinem suam, non ita potest penetrare corporis meatus, ut aër tenuißimæ substantiæ. Verùm talis perfusio craßioribus, & corpulentis potißimùm competit.

Pransus stare. *Causa suprà dicta est.*

Stantis enim. *Ratio.*

ANNOTATIONES.

Duplicia sunt balnea. Spontanea & artificialia. Spõtanea thermæ uocantur. Varia sunt genera thermarum, & diuersæ naturæ. Referunt enim uires illarum rerum, quas resipiunt. Omnes tamen uim exiccandi corpora habent, quare humidis, laxis, & quæ exiccari operæprecium est, conueniunt.

Artificialia sunt triplicia: Ignea, aërea, aquea. Ignea, cùm aliquis lapidibus candentibus sudoris prouocandi gratia insidet. Aërea, quando uaporibus simplicibus, uel medicatis sudor mouetur, cuiusmodi uulgaria sunt balnea. Aquea, cùm in aqua lauamus. Hæc sunt aut frigida, aut calida. Calida uim habent humectandi, resoluendi, digerendi, molliendi, mouendi somnum. Hæc omnibus sanis idonea sunt: frigida uerò non nisi iuuenibus carnosis, & æstiuo tempore conferunt, macilentis inimicißima sunt. Est enim frigus neruis, neruosisq́; membris inimicum. Macilentorum nerui ob carnis inopiam expositi læsioni sunt. Vnde & Poëta Tragicus Euripides uerè dixit: ψυχὸς δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον.

DE EXCREMENTIS.

Mixtio. MEiere profuerit, quoties uesica laborat:
Excretio. Fece grauis uenter nec cohibendus erit.
Crepitus Nec flatum retine, nisi noxia cogat honestas,
Hìc est, natura præside, turpe nihil.

Edicto uetuit, crepitus ructusq; teneri Ructus.
Claudius, ó Medici principis imperium.

SCHOLIA.

Meiere profuerit. *Vrina quoties necessitas exigit, reddenda, nec diutius iusto retinenda. Retentio siquidem eius longa, interdum urinæ suppressionem adfert, interdum calculum, aut difficultatem mingendi, item aquam intercutem efficit. Nec tamen illos probo, qui canum more assiduè mingunt. Præter alia enim incommoda, in postrema ætate retinere urinam ægrè possunt. Laudo igitur eos, qui statis temporibus excrementa uesicæ, maximeq; alui excernunt, ut sine impedimento suum munus administrare possint. Ideo enim natura uesicæ colli & sedi musculos addidit, ut continere excrementa aliquandiu possint.*

Fece grauis. *Excrementa alui non sunt ultra iustum tempus retinenda. Nam uentositates & tormina generant, & caput offendunt.*

Nec flatum. *Crepitum. Hinc etiam inflationes, crepitus, colica, dolores capitis, & uertigo oriuntur. De ructu est idem iudicium.*

ANNOTATIONES.

Dixi suprà, alimenta esse quæ in substantiam conuerti possint. Constat autem, etiamsi multa & uaria edulia capiantur, parum admodum tamen retineri,

& membris aßimilari. In *causa est magna dißimilitudo alimentorum & partium nutriendarum. Quoniam igitur nec uniuersus cibus & potus in chylum, nec chylus totus in sanguinem, nec sanguis omnis in membrum conuertitur, necessaria in corpore excrementa existunt, quæ quia nullum usum præstant, & capiti oneri, non adminiculo sunt, excernantur necesse est.* Excrementa *igitur dicuntur, quæcunq; ab alimentis separata, alendo corpori non idonea sunt. In omni enim coctione superflua & inutilia separantur, quarum quædam sponte à corpore exeunt, quædam à nobis excernuntur.* Hæc *sunt triplicia:* Crassa, *fluida, & halituosa.* Crassa, *ut excrementa alui: fluida, ut urina: flatuosa, ut flatus, ructus, de quibus generale præceptum est,* Excrementa *esse tempestiua excernenda.*

Sed quomodo reliqua excernuntur excrementa?

Suprà dixi, singulis particulis insitam esse facultatem quandam, qua inutilia & molesta à se depellunt. Hæc *etsi naturalis est, & sponte agit, tamen iuuatur calore natiuo, motu corporis exuscitato, dilatante meatus, & excrementa ad expulsionem quasi præparante.* Huius *generis sunt: sudor, sordes corpori adhærentes, & quæcunque in sensorijs colliguntur excrementa.* Hæc *nos deinde auferre oportet.*

Vrina.

Vrinam pleriq; definiunt, esse serum sanguinis, ex epate & uenis per renes in uesicam delatum. Est enim aquositas à sanguine in renibus segregata, & in uesica paulatim collecta. Huic cognatus est sudor. Nam est etiam aquosum excrementum, quod per poros cutis guttatim expellitur.

DE PRANDIO ET Cœna.

ESSE magis frugi cœnam, quàm sumptibus auctã, Cœna.
Lauta quidem, sed non fercula multa uelim.

ANNOTATIONES.

Vsitata & à multis agitata, & quæ in utranque partem disputari solet, hoc loco quæstio est, utrum uidelicet sit largius prandendum, uel cœnandum. Quæ cùm ad hanc materiam propriè pertineat, & ab Autore attingatur, præterire nullo modo possum. Subijciam igitur breuiter rationes, quibus plus cibi in cœna assumendum esse, probari potest. Deinde ostendam causam, quare quidam diuersum sentiant. Postremò meam quoq; sententiam de hac quæstione adiungam. Ex superioribus constat, qualitatem alimentorum debere innato calori proportione respondere. Calor aũt noctu, et propter quietem, quamobrẽ & sanguis introrsum concedit, & propter nocturnum frigus in interioribus auctior est, quàm interdiu. Plus igitur cibi quàm in die concoquere potest.

Adde

Adde quòd longius ſpacium eſt, ad conficiendum alimentum, à cœna ad prandium, quàm ab hoc ad illã. Hæ ſunt, ut mihi quidem uidetur, ſatis bonæ rationes, alias ſtudio breuitatis omitto. Qui uerò diuerſum ſentiunt, magis autoritate & recepta conſuetudine, quàm rationibus mouentur. Dicitur enim uulgari uerſiculo: Vt ſis nocte leuis, ſit tibi cœna breuis. Idem hic autor ſcribit. Verùm hæ ſententiæ non collatione prandij, ſed cœnæ intelligendæ ſunt. Nam etſi largius comedendum ueſperi, quàm meridie, modum tamen ſeruare ubiq; expedit. Eſt etiam ratio, quæ obſtare uidetur. Interdiu plus diſſoluitur, & diffluit à corporibus, propter motus & aëris caliditatem. Ergo hoc nomine plus cibi in prandio, quàm cœna capiendum. Hoc eſt ſpecioſum argumentum, quod cum illo, quare hyeme uberius edendum, quàm æſtate concedit. Quanquam aliqua diſsimilitudo eſt. Ad cõſuetudinem, quæ in omni uita plurimum ponderis habet, & quaſi alteram naturam inducit, tantùm reſpondeo ex Hippo. qui ſcribit: Longo tempore conſueta, etſi inſuetis deteriora ſunt, minus tamen illis moleſtiæ adferre. Seruiendum igitur conſuetudini potius, quàm rectæ rationi: uerùm ſi ſimpliciter de nondum ad alterutrum adſuefacto pronunciandum, præſtat ueſperi pleniore alimento frui. Atq; hæc de ſanis tantùm, & quorum caput inculpatam ualetudinem habet, quiq; nocturnis morbis non uexantur, intelligo atq; ſentio. Qui autem ex capite laborant, aut catarrho

tarrho molestantur, illos ad noctem parcius comedere oportet.

DE VIGILIIS, SIVE NOcturnis lucubrationibus.

A Cœna uigilans unam ne excesseris horam, Studiū à cœna.
Ne cerebro noceat nox uigilata tuo.

SCHOLIA.

Vnam. Ego multas horas, legere malim. Tam citò enim à sumpto cibo, cubitum ire, & insalubre (replet enim caput) & à uocatione cuiusq; alienum est. Sententia igitur est, nocturnas lucubrationes, maximeq; uespertinas, esse fugiendas. Nam matutinæ ad studia aliosq; labores aptißimæ sunt, quod primum antiquißimus poëta Hesiodus, hoc uersu testatur:
Ηως τοι προφέρει μὲν ὁδοῦ προφέρει δὲ καὶ ἔργου.
Idem Aristot. 1. Oeconom.

Ne noceat cerebro. Ratio. Nam uigiliæ immodicæ cerebrum offendunt, temperaturam eius exiccant, delirium accersunt, impediunt etiam coctionem alimentorum, & cruditates efficiunt, quibus corpora decolorantur.

DE SOMNO.

Quando cubitum eundum, quandoq; surgendum?

Occiduo

Occiduo cum sole cubilia strata subintra,
Tu quoq; de plumis, hoc redeunte, redi.
Sic etenim ratio naturæ suadet, & illas
Condidit ingenijs corporibusq; uices.
Tempora nam somno nocturna, diurna labori
Cùm daret, hæc uoluit nos data iussa sequi.

SCHOLIA.

1. Sic etenim. *Causa. Natura enim destinauit noctem somno & quieti, diem uerò laboribus.* Hæc est *una ratio, etiam idiotis nota, sed non contemnenda.*
2. *Sunt duæ aliæ magis philosophicæ.* Prior: Nox *temperamento suo, uidelicet humiditate & frigiditate somnum mouet.*
3. *Altera, quies nocturna ad conciliandum somnum plurimum momenti adfert.* Tur*bæ enim somnum impediunt, atq; interrumpunt.*

Cur, quum strepitus somnum impediat, Virgilius scribit: Sæpe leui somnũ suadebit inire susurro?

Id *intelligendum de leui murmure, non de uehementi strepitu, qualis interdiu est discurrentium, equitantium, curruum.* Ad *hæc diurnum siue pomeridianum tempus ad perficiendam coctionem non sufficit.*

QVAMDIV DORMIendum.

S*Ed quia tardat hyems* P*hœbum, quia tẽpore meßis*
E*xorta citius luce colorat humum;*

Ipsa parens rerum tibi tres aut quatuor horas
Deputat, hæc iustæ tempora noctis erunt.

Somnus naturalis

SCHOLIA.

Sed quia. *Occurrit tacitæ obiectioni. Maxima est dierum & noctium inæqualitas: tempore æquinoctiorum æquales sunt dies, aliàs inæquales. Hyeme sunt noctes longißimæ, æstate breuißimæ. Absurdum autem & alienum uidetur, somni spacia eodem modo uariare, & incerta esse. Quare subijcit:*

Ipsa parens. *Natura, quæ secundum Philosophos est causa omnium rerum naturalium.*

Tres aut quatuor horas. *Septem horæ plerunq; somno sufficiunt. Alijs tamen alijs diutius somno indulgendum. Terminus igitur somni est perfecta ciborum concoctio, quæ ex uigore & alacritate tum corporis, tum animi cognoscitur. Ructus & uentris contractio imperfectam coctionem arguunt.*

Estne unum & certum spacium concoctionis?

Non. *Sed uariat, pro calore & ingesti cibi quantitate aut qualitate. Nam pauca & probè præparata citiùs: multa uerò, uaria, aut non ritè cocta, aut quæ difficulter alterantur, tardiùs à calore confici atque concoqui possunt. Neq; igitur cibus unum habet in omnibus præfinitum tempus, neq; potus. Quare concoctionis absolutionem prædictis signis æstimare satius est, quàm tempore definire.*

QVO-

QVOMODO CVBANDVM.

Dormiture latus dextrum preme, manè sinistrum,
Ingestum ratiô concoquit ista cibum.

SCHOLIA.

Dormiture. Principiò in dextro latere cubandum, deinde in sinistro.

Est ratio. Quia iuuat alimenti coctionem. Deinde, unum latus non sufficit sustinendo semper totius corporis oneri. Est igitur opus uicißitudine.

ANNOTATIONES.

Quatuor sunt formæ decubitus: Pronus, supinus, in dextro latere, & sinistro. Pronus non omnino inutilis est. Promouet enim concoctionem, sed facilè oculos offendit. Ita enim cubantibus superfluitates in oculos declinant, maximè si fuerint natura debiliores. Supinus ab omnibus damnatur, ac grauißimorum morborum, incubi, apoplexiæ, stuporis, occasiô est. Est igitur in lateribus cubandum.

Appendix de somno.

Aeg. cap. 97. Somnus est quies facultatũ animalium, ab utili humiditate cerebrum madefaciente, prouenięns, cuius duæ sunt differentiæ, ex temporis diuersitate sumptæ. Nocturnus, & diurnus. Vtilitates somni sunt, leuare laßitudinem corporis, iuuare concoctionem, humectare membra exercitijs exhausta, interiora calefacere,

lefacere, & corporis & animi dolores mitigare, perturbatam mentem emendare. Immoderatus somnus calorem obtundit, caput replet malis humoribus, ueternum inducit.

QVAESTIONES.

Quomodo uapores è uentriculo exhalant, cùm orificium eius, dum cibus coquitur, sit clausum?

Vapores sunt tenuißimæ substantiæ, quare nunquàm tam arctè clauditur, ut illos intercipiat, aut omnino exire prohibeat.

Quare non à prandio etiam dormitur, cùm non secus atq; à cœna uapores exhalent?

Quia natura temperatura diei, & turbæ obstant.

Quare primus somnus omnium est profundissimus?

Quia ineunte nocte, & craßiores & copiosiores fumi ex prima coctione caput occupant. Vnde cerebro grauato profundus sequitur somnus.

DE VENERE.

QVæritis an Veneri liceat parêre uocanti? Venus.
Hîc quoq; erit certus (sicut ubiq;) modus.
Multa Venus uires exhaurit, spiritibusq;
Noxia, consumit corpora mille modis.

Rara leuat, corpusq; iuuat Venus. Optima uita est,
Quæ neq; casta nimis, nec nimis est petulans.
At tu, cui studij flores, fructusq; petuntur,
Si poßis Venerem spernere, sanus eris.
Nanq; nec Aonidum Venus improba ludit in hortis,
Nec turpes flammas Musa pudica probat.
Ipsa gubernatrix studiorum casta Minerua est,
Artibus ingenuis est inimica Venus.

SCHOLIA.

Quæritis. Prima quæstio est, an liceat re Venerea uti, & an Veneris usus sit secundum naturam, cùm Veteres conseruationem genituræ inter saluberrima tria recensuerint.

Modus. Responsio Moderata Venus conceditur. Videtur autem Autor alludere ad illam Hippo. sententiam: Πόνοι σιτία ποτὰ ὕπνοι πάντα μετρία. Moderatum autem ad aliquid dicitur. Nam quod calido & humido moderatum, id sicco inimicum est. Quilibet igitur ex sua natura, non ex alia, quantitatem æstimet.

Multa Venus. Incommoda Veneris immoderatæ. Rara. Commoda.

Leuat corpus Quia euacuat materiam.

Finem pulchrè complexus est Virgil. his uerbis:

Vina sitim sedent, natis Venus alma creandis
Seruiat, hos fines transilijsse nocet.

ANNOTATIONES.

Hunc

Hunc locum obiter percurrere, non explicare adolescentibus soleo, neq; enim ad eam ætatem pertinet, sed ad prouectiores, qui in coniugio uiuunt, quibus non inutile est, aliquid certi de Veneris usu cognitũ habere. Itaq; principiò sciendum, Venerem inter euacuationum genera à Medicis referri, quoniam quod superfluum, & corpori molestum est semen, euacuat. Nulla autem superfluæ rei euacuatio est insalubris, nisi intempestiua aut immoderata fuerit. Ita dictum prouerbiale ex Plutarcho accipere oportet, cui Hippocrates in paulò antè scripta sententia adstipulatur. Constat enim grauißimos morbos utriq; sexui, ex intempestiua, aut quæ modum excedit, continentia exoriri, quod uerbosius explicare Medicorum est. Subijciatur nunc quibus naturis amica, quibus aliena sit Venus. Siccis naturis aduersißima est. Nam eas prorsus arefacit, & senium accelerat. Quare incontinentes citò senescunt, nec longæui sunt. Exemplo, præter alia, sunt passeres, qui propter insignem salacitatem biennium rarò excedunt. Humidis uerò & calidis (nam in his abundat semen) tutißima & omnino necessaria est Venus, à multisq; morbis præseruat. Sed pergamus ad alia.

QVID AGENDVM BEne ualentibus.

Iam ne cuncta putes paruo uoluisse libello
Claudere, quæ nemo dinumerare queat:

Accipe consilium, quo non est uerius ullum,
Atque ita naturam dicere tibi crede.
Sanus es, & nullis confectus corpora morbis
Et tuus es, nec te iussa aliena trahunt.
Nullius obstrictus Medicorum legibus esto,
Deformet corpus nullus alipta tuum.
Quin potius uarium uitæ sectare tenorem,
Teq; tibi similem ne patiare diu.

Rusticæ uitæ laudes & cōmoda.

Nunc urbana potes tractare negocia, sæpe
Rura graues casus non habitura petes.
Mille uoluptatum species tibi rura ministrant,
Non aliquo poteris sanior esse loco.
Nunc timidum longa captabis arundine piscem,
Nunc udo aëreum numine fallis auem.
Nunc errare greges pecudum spectabis ab alto
Vertice, nunc syluas, frigidaq; antra subis.
Nusquam commodius, quàm uiuere rure beato,
Illa potest ipsos uita decere Deos.
Felices, quos rura iuuant, quibus illa uoluptas
Contigit, hoc optem uiuere posse modo.
Hac ego uel Crœsos uita mutare ducentos,
Hac asini nolim ditia sceptra Midæ.
Sæpe hîc profuerit placidæ indulsisse quieti,
Sæpius, at sanis, præstat agenda dari.

Ignauia.

Perdit enim ualidas uecors ignauia uires:

Labor.

Confirmat modicus restituitq; labor.
Illa senectutem citius, quàm debuit, adfert,
Hic æui florem donat adesse diu.

Interdum

Interdum thermas, interdum frigida inibis
Balnea, ſæpe unges corpora, ſæpe minus.
Sæpe cibis tutò poteris uulgaribus uti:
Sæpe frequens, alio tempore ſolus eris.
Nonnunquam plus quàm decuit ſumpſiſſe ciborum,
Nunc potes audacem non habuiſſe gulam.
Vtilius multum, qui concoquit omnia, ſumit,
Nulla quidem ſanis regula certa datur.
Hæc poterunt ſeruare alacres, & corpore firmi,
Ius libertatis nullius æger habet.
Sanus es, auxilium noli conſumere morbi,
Vt ſi fortè cadas, tu medeare tibi.
Nam citò deſtituunt conſumptæ corpora uires,
Reſtituunt ualidæ quàmlibet ægra ſibi.

SCHOLIA.

Iam ne cuncta. *Præciſio.*

Sanus es. *Hic locus ex C. Celſo translatus eſt, cuius uerba, quia ad Autoris ſententiam rectè intelligendam plurimùm faciunt, poſtea ſubijciam. Summa autem eſt, ſanis, & qui ſui iuris ſunt, uarium uitæ genus eſt accommodatiſſimum. Verùm hæc ad ſtudioſos non ſunt transferenda, quos non uagum, ſed certum uitæ genus ſequi oportet.*

Mille. *Digreßiuncula. ἐγκώμιον rei ruſticæ:*

Sanior eſſe loco. *Experientia teſtatur, ruſticos urbanis eſſe robuſtiores, meliori ualetudine, eius rei cauſæ ſunt, uaria & continua exercitia, ciborum ſimplicitas, & aër ſiccior.*

Felices. *Idem Horatius sentit, Oda 2. Epodon.*

Beatus ille, qui procul negotijs,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore &c.

Perdit enim uires. *Conuenit cum sententia Ouidij:*

Cernis ut ignauum corrumpunt ocia corpus,
Et capiunt uitium, ni moueantur, aquæ.

Hæc æui florem. *Contrà.*

Labor exiccat.
Siccitas senium accelerat:
Igitur labor destruit, non conseruat florem ætatis.

Resp. Vehemens & immoderatus labor exhaurit & consumit natiuam humiditatem. Sed moderatus, de quo hîc agitur, eandem conseruat.

Hæc. *Epilogus.*

Auxilium consumere morbi. *Debilitare uires.*

Tu medeare tibi. *Nam uires, siue naturæ robur, est medicatrix morborum.*

Nam citò destituunt. *Natura robusta facilè uincit morbum, debilis uerò succumbit. Sicut uulgo dicitur: Naturæ forti nihil impoßibile.*

Celsus lib. 1. cap. 1.

Sanus homo, qui & bene ualet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet, & neq; Medico, neq;

neq; aliptae egere. Hunc oportet uarium habere uitæ genus, modò ruri esse, modò in urbe, sæpiusq; in agro, nauigare, uenari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere. Siquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat: illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti, modò ungi, modò idipsum negligere, nullum cibi genus fugere, quo populus utatur, interdum in conuiuio esse, interdum ab eo se retrahere, modò plus iusto, modò non amplius assumere, bis die potius quàm semel cibum capere, & semper quàmplurimum, dummodò hunc concoquat. Sed & huius generis exercitationes cibiq; necessarij sunt, sic athletici superuacui. Nam & intermissus propter ciuiles aliquas necessitates ordo exercitationis corpus affligit, & ea corpora, quæ more eorum repleta sunt, celerrimè & senescunt, & ægrotant. Concubitus uerò neq; nimis concupiscendus, neq; nimis pertimescendus est. Rarus corpus excitat, frequens soluit. Cùm autem frequens non numero sit, sed natura, ratione ætatis & corporis scire licet, eum non inutilem esse, quem corporis neque languor, neque dolor sequitur. Idem interdiu peior est, noctu tutior, ita tamen, si neque illum cibus, neque hunc cum uigilia labor statim sequitur. Hæc firmis seruanda sunt, cauendumq; ne in secunda ualetudine, aduersæ præsidia consumantur.

TERTIA PARS.

DE FACVLTATIBVS Alimentorum.

PLinius primum ſcribentis officium eſſe existimat, ſæpe titulum instituti operis inſpicere, idq; non ſolùm in ſcribendo, ſed etiam in docendo, & explicandis autoribus uerum est. Ego uerò non titulum ſolùm, ſed multò magis principalem operis alicuius diuiſionem crebrò & inſpiciendam & repetendam eſſe, omnino mihi perſuadeo. Ita enim res minori negotio diſcuntur, & faciliùs retinentur. Quapropter & nos paucis ſummam in memoriam reuocabimus. In hoc libello instituta est doctrina de ſanitate tuenda. Diuiditur autem in tres partes, ſiue capita. Principiò explicatur natura ſiue constitutio hominis. Deinde generalia quædam præcepta, ad tuendam ualetudinem, traduntur. De utraq; parte hactenus egimus. Nunc ſequitur tertius locus, de facultatibus alimentorum, quem ſatis copioſè pertractat. Principiò autem oſtendit cauſas, quare alimenta ſint neceſſaria, qui locus planè philoſophicus est, & cognitione digniſsimus. Deinde uaria genera alimentorum, eorumq; naturas recenſet.

SIMPLICIVM CIBORVM FAcultates aliquot.

Nunc

NVnc tibi, quæ ratio, quæ sit natura ciborum,
Versibus imparibus noster Apollo canet.
Nõ tamen omnigenũ (quis enim queat ?) ista futuræ
Præmetium meßi carmina pauca damus.
Sicut edax ignis præpinguem lampada pascit, Naturalis ratio ciborum à simili.
Donec stuppa calens, quo foueatur, habet.
Postquam deinde sequax flammam defecerit humor,
Ipsa perexiguo tempore tota perit.
Sic calor in nostro bibit humida corpore, donec Calor & humor in corpore.
Naturæ faciles sint alimenta cibi.
Quæ si deficiant rimantem cuncta calorem,
Certum est hoc animam depereunte sequi.
Nanq; ubi iam, quod agat, nõ inuenit, efflat in auras,
Materia uires destituente suas.
Illa igitur ratio est, quæ corpora nostra foueri
Præcipit, & uires sustinuisse cibo.
Nam quia dissoluunt calor, & qui circuit, aër,
In loca, qui subeant, est opus esse cibos.
Qui quia sunt uarij, nec ab una lege petendi,
Refert accipias, quósue, quibúsue modis.
Vtq; hinc incipiam, quosdam quæsisse uidemus, Differentia animalium.
Quæ caro plus uegetet corpora, quæq; minus.
Bruta feris uideo prælata domestica, quorum
Plus alimentorum carnibus esse putant.
Illa tamen durant, & fortia corpora reddunt,
Hæc ut sana magis constituantur, agunt.

SCHOLIA.

Nunc tibi. Propositio.

Non tamen. *Correctio. Non omnium alimentorum facultates, sed tantùm præcipuorum enumerabo.*

Sicut edax ignis. *Similitudo. Quia uerò ad uitam sustentandam nutrimentis opus est, iuxta illud* Aristot. *Omne quod uiuit nutriatur oportet, ut antea quoq; diximus.* Ideo *non alienum ab instituto uidetur, de uita aliquid attexere.* Vita *autem est quasi* ἐντελεχία *caloris naturalis, qui non potest sine materia, & fomento existere.* Rectè *igitur* Aristot. *uitam in calido & humido consistere, memoriæ prodidit.* Non *autem hæc de quolibet calore & humore intelligi debent.* Etenim *duplex calor est:* Innatus *& alienus, siue aduenticius.* Natiuum Hippo. ἔμφυτον. Aristot. *uerò* φυσικὸν θερμὸν, *eò quòd uel sua natura inest corporibus, uel quòd naturam conseruat, adpellant.* Aduenticius *aliundè accedit, atq; naturalem, uel dissoluendo, uel absumendo materiam corrumpit, quæ corruptio mors est, ut deinde dicetur.* Ita *& materia duplex:* Alia *enim apta fouendo calori.* Alia *uerò contra.*

Sic calor. *Accommodatio.*

Animam depereunte sequi. *Deficiente alimento, resoluitur calor, & mors sequitur.* Est *enim mors, autore* Aristot. φθορὰ τοῦ θερμοῦ φυσικοῦ. Vel *ut* Galenus *definit,* ὁ θάνατος σβέσις ἐστὶ τῆς ἐμφύτου θερμασίας. Hæc *duobus modis accidit, aut resolutione, uel defectu materiæ, sicut li-*

num

num incensum pinguedine destitutũ extinguitur, uel suffocatione, aut redundante materia. Materia au*tem uel sua copia, uel qualitate redundat, quemadmodum ignis extinguitur, uel multis lignis impositis, uel uiridibus. Sic calor suffocatur, uel multitudine, uel qualitate materiæ.* Idem *doctißimus uir* Marsilius Ficinus *sentit.* Eius *uerba hæc sunt:* Vita *quidem tanquam lumen in naturali calore consistit. Caloris uerò pabulum est humor aëreus, atq; pinguis quasi oleum. Siue igitur humor eiusmodi fortè deficiat, siue prorsus excedat, uel inquinetur, calor naturalis statim debilitatur, & tandem debilitatus extinguitur.* Si *humoris defectu calor debilitatur, & perditur, mors resolutione contingit. Si potius obruitur, humoris excessu uel uitio, uita suffocatione perit.*

Efflat in auras. *Euanescit.* Nam *calor non potest esse sine obiecto.*

Nam quia dissoluunt. *Duæ sunt causæ, quare alimentis indigeamus. Calor internus agens, & consumens aër externus acris, dissoluens humores.*

Circuit aër. *Ideo à Medicis περιέχων uocatur.*

Qui quia sunt uarij. V*ariant plurimùm cibi non appellationibus solùm, sed etiam facultatibus.* Dicendum *igitur posthac de differentia illorum aliquid in genere.*

Quæ caro plus uegetet. *Nutriat.*

Quidam

I.

Quidã cibi multũ nutriunt, πολυτροφοὶ Græcis dicti. Quidam parum, ὀλιγοτροφοὶ. In frumentis enim plus nutrimenti est, quàm in leguminibus. In his plus, quàm in oleribus. In carne plus quàm in ullo alio.

Bruta feris. *Exemplum.*

II. *Diuisio.*

Ciborum alij boni sunt succi, εὔχυμοι, alij mali succi, κακόχυμοι, ut Græci loquuntur, *idq́; uel simpliciter, ut caro hircina, caseus putris; uel comparatione, quemadmodum hîc.*

Differentia inter feras, & domesticas carnes.

Fera animalia siccius, minusq́; excrementicium alimentum quàm domestica præstant. Idem *de cicuribus, quæ sub pastore uictum quærunt, collatis ad ea quæ sagnantur, sentiendum est.* Omne *enim animal, quod exercitio caret, excrementosum est.*

DE CARNIBVS QVADRUPEDUM ANIMALIUM.

De Suilla & Hœdina.

QVis neget? utq́; negat nemo, sic prima suillis
Carnibus, & merita gloria laude datur.
Hœdina. *Erepti pauidis lactentes matribus hœdi,*
Et multis nuper nata capella placet.

Attamen

Attamen est ratio palmam tribuisse suillis,
Quòd similes hominum carnibus esse ferunt. Suilla hũmanæ simillima.
Quod uerum docuit rerum experientia doctrix,
Quæ potior causis omnibus esse potest.
Sæpe humana aliquos in uiscera casus adegit,
Atq; homines iußit mandere dira fames.
Ne quid inexpertum Medicina relinqueret, olim Erophilus, & Erasistratus.
Membratim uiuos execuisse ferunt.
Atq; ita diuinum paucorum crimine munus,
Facta (ne fas dictu) carnificina fuit.
Quæ uelut è spacio res me tulit, ergo suillæ
Vis naturæ hominum proxima carnis erat.

SCHOLIA.

Attamen. *Collatio. Carnes suillæ sunt optimæ, quoniam proximè ad humanam carnem accedunt, quod ex odore & sapore constat.*

Quod uerum docuit. *Probatio ab experientia.*

Rerum experientia doctrix. *Locus communis. Causæ certitudinis omnium rerum in Philosophia, sunt experientia & ratio. Verùm experientia certa et uniuersaliter nota, omnibus rationibus præstat.*

In uiscera humana. *Mactare homines, quem admodum historiæ testantur.*

Ne quid inexpertum. *Altera probatio, ab Anatomia Medicorum. Duplex Anatomia, siue disse-*

ctio

ctio corporũ humanorum fuit in uſu;uiuorũ ſcilicet, & mortuorũ. Illa quia crudelis adminiſtratu,& horrenda ſpectatu fuit,maturè abrogata eſt,alterã propter neceßitatem omnes ætates retinuerunt.

Diuinum munus. *Medicina.*

Paucorum crimine. *Crudelitate.*

QVAESTIO.

Cur igitur non omnibus conceditur ſuilla caro, ſiquidem optima,& homini cognatiſsima eſt?

Quia non ab omnibus concoqui poteſt,teſte Galeno,qui ita ſcribit: Porrò *omnium quas nouimus,maximè nutriens ſuilla caro eſt, uerùm non æquè ac prædicta concoctu facilis eſt. Præterea glutinoſum ſuccum craſſumq; generat.*

De ouina,hircina,caprina.

Lanigerarum ouium ſucco peccante redundat
Hircus olens,itidem capraq; crimen habet.

SCHOLIA.

Lanigerarum ouium. *Scilicet caro.*

Succo peccante. Excrementicio. *Sunt enim oues pituitoſæ ualde,& muccoſæ magis reliquis animalibus,atq; morboſæ propter immoderatam humiditatem. Quare caro ouilla mali ſucci eſt.* Hircina *propter fœtorem ingrata,& inimica eſt ſtomacho,*

diffi-

difficulter concoquitur, & ad bonum sanguinem gignendum parum idonea est. Similiter ex caprina non gignitur bonus succus, ob acrimoniam.

De Bubula & Vaccina.

DE boue semper edat, qui bilem despicit atram,
Quò senior bos est, hòc caro peior erit.
Viscera si quis edit uetulæ prærancida uaccæ,
Implicitus duris febribus esse uolet.

SCHOLIA.

Qui bilem despicit atram. Qui non curat siue metuit atram bilem. Gignit enim nigram bilem caro bubula, si frequenter edatur. Non tamen ab illa (sicut à nulla alia) ex toto abstinendum est, sed omnibus interdum utendum. Optimis uerò, quantum fieri potest, plerunq;.

Viscera uaccę. Κατὰ συνεκδοχὴν, pro omni carne uaccina. Nam non hîc, sed in sequenti capite de partibus animalium agitur.

Duris febribus. Longis, solutu difficilibus. Nam ex crasso & terrestri humore, diuturnæ, maximeq; quartanæ febres nascuntur.

De Leporina.

ME Lepus hyberno caulem depastus in horto,
Quantumuis bilis terreat atra, capit.

SCHOLIA.

Inter aues turdus, si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Hic

Hic Martialis primas tribuit inter quadrupedes leporinæ carni, magis fortaſſe Apitiorum in electione iudicio, quàm rationibus Phyſicis adductus. Cæterùm uariant ſententiæ. Alij æſtiuos lepores, alij hybernos præferunt. Aeſtiui, ſi quis ætatem & paſcua ſpectat, ſunt meliores, hyberno tempore capti, etiam ſuam laudem habent.

Atra bilis. *Gignit leporina carò atram bilem, ſed minus prædictis carnibus.*

De Cuniculina.

ME *tener è cæcis data præda cuniculus antris,*
Me tenerum quicquid luſtra domusq́; ferūt.

SCHOLIA.

Cuniculina caro cognata eſt leporinæ.

De Sciurina.

ME *tener hæc inter, certum licet ipſa Sciurò*
Ridiculo nomen lingua Latina neget.

De Ceruina.

COncoctu *nimium dura eſt ceruina, ſed illam*
Conditam calidis ſumere ſæpe licet.

III. *Diuiſio ciborum.*

Quidam cibi citò & facilè coquuntur, quidam difficulter, & non niſi longo tempore.

SCHOLIA.

Concoctu nimium dura. *Id eſt, difficilis concoctu,*

concoctu, propter siccitatem, & duritiem. Quò enim sicciores carnes, eò difficiliùs, et quò humidiores atq; molliores, eò faciliùs concoquuntur.

Conditam calidis. *Aromatis. Habent enim aromata uim calefaciendi uteri, augent calorem natiuum, concoctricem facultatem adiuuant. Hîc obiter obseruandum est, uitia quædam quæ natura insunt rebus, præparatione artificiosa emendari ac tolli posse.*

De Vitulina.

Laudatur uitulina magis, sed ab ubere matris
Rapta modò, est ueteri gratia nempe minor.

SCHOLIA.

Rapta modò. *Non tamen nimis recens sit. Sciendum enim est extremas ætates uitia habere. Medias optimas, & saluberrimas esse. Nam nimis recens caro mucosa, & excrementicia est, uetusta dura, sicca & neruosa.*

QVAESTIO.

Quare uitulinæ & hœdinæ carnes commendantur, bubula uerò & caprina improbantur?

Siccorum animalium carnes in prima ætate, quæ humidior est, præstant, & minori momento conficiuntur. Cùm uerò adoleuerint, ob siccitatem ægrè concoquuntur. Contrà humidioribus animalibus car

nes progreſſu temporis cõſumpta humiditate ſuperflua, aptiores & ad concoquendum, & ad nutriendum redduntur.

Regula generalis.

Recẽtes. Vetuſtæ.

SVmmatim, noua ſunt ſemper meliora uetuſtis,
Et ſtomacho poſſunt commodiore coqui.

SCHOLIA.

Meliora. *Non ſimpliciter, ſed collatione, ideo addit uetuſtis. Media enim ætas optima, ut dixi.*

Et ſtomacho poſſunt. *Sunt enim humidiora, molliorāq;, ideo facilius alterantur.*

Regula.

SIc maribus caſtrata, præibunt pinguia ſiccis
Quadrupedum, nec nos cætera turba mouet.

SCHOLIA.

Variant caſtrata à reliquis temperatura, & corporis habitu. Sunt enim humidiores pinguioresq;. Ideo facilius concoquuntur, & melius nutriunt. Idẽ ſentiendum quoq; de non caſtratis.

Hunc locum ferè ad uerbum ex Paulo Aegineta, *ut pleraq; alia, in hac poſtrema parte tranſtulit. Ita enim ſcribit:* Καθόλου δὲ τὰ μὲν νέα ὑγρότερά τε καὶ μαλακώτερα, καὶ εὐπεπτότερα τῶν παλεῶν, καὶ τὰ εὐνοῦχα τῶν ἐνόρχων, καὶ τὰ εὔτροφα τῶν ἰχνῶν.

De

De reliquis quadrupedibus, quæ non ubiq; locorum in usu sunt.

Vidi ego in Arctöis impexum Tartaron oris, Victus Barbarorũ Equi.
Immanes auidis dentibus esse feras.
Vidi & equina fero laniare cadauera morsu,
Crudaq́; Sauromatis frusta fuisse cibum.
Quas ego non Alces immania monstra comedi? Alces. Vri.
Quos ego non uros, semiferasq́; boues?
Dij melius tali uitam, quàm degere cultu,
Qui nihil humani, nomina præter, habet.
Nos cœlo meliore sati, meliora sequemur:
Corporis atq; animi quo tueamur opes.
Quæ quibus adfuerint, non illis aurea deerit
Copia, nec regnum diuitis omne Midæ
Tam bene si ualeas animoq́; & corpore, uinces,
Quæ bona cunq; homini maximus orbis habet.
Hoc poteris medicas pulchrè tenuisse per artes,
Si modò non sordent hæc elementa tibi.

SCHOLIA.

Quæ quibus adfuerint. ἐγκώμιον *sanitatis.*

Vinces bona quæcunq; orbis. *Alludit ad Græcorum senarium:* οὐκ ἔσ᾽ ὑγιείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ. *Vnde in prouerbium abijt,* ἄριστον μὲν ὑγιαίνειν.

DE PARTIBVS animalium.

ERgo ubi carne famem pulsurus es, hoc quoq; cura,
Quid faciant stomacho singula membra tuo.

SCHOLIA.

Quemadmodum non omnium animalium eadem natura est, ut in præcedenti capite ostendimus, ita quoq; partes, etiam eiusdem animalis, multum inter se differunt, nec eadem facilitate præditæ sunt. Sequuntur autem composita membra (de quibus nunc agitur) naturam suorum simplicium, ex quibus componuntur. Et sicut simplicium partium caro maximè nutrit, ita compositarum carnosæ uberrimum nutrimentum præstant. Quò igitur membra longius à carne recedunt, eò minus nutrimenti corporibus nostris præbent.

De auribus & rostris.

AVribus & rostris, quæ sunt in quoq; animali,
Et caro durior est, & minus apta coqui.

SCHOLIA.

Caro durior est. *Sunt enim partes cartilaginosæ, & ob id duræ.*

Et minus apta coqui. *Dura enim difficulter alterantur, atq; concoquuntur, nec cocta multum nutrimenti habent.*

De Lingua.

LIngua parũ nutrit, qa laxa & sanguine cassa est,
Siue sit illa auium, siue sit illa boum.

SCHO-

SCHOLIA.

Lingua parum nutrit. *Respectu solidioris carnis, non aliarum particularum.*

Quia laxa. *Ratio.*

De Mammis, glandibus, & renibus.

MAmmarum de glande ferunt præstare suillas,
Exangues renes non citò posse coqui.

SCHOLIA.

Vbera constant carne glandulosa, ideo ambo coniungit. Sunt aũt suilla cæteris meliora, ac in delitijs propter suauitatem à quibusdam habentur.

Exangues carnes. *Renes dura & solida carne constant. Ideo difficulter concoquuntur. Inter omnes tamen uitulini potißimi sunt propter compositionis à reliquis diuersitatem.*

De Cerebro.

SAEpe auidis cerebellorum pituita molesta est,
Aptè cocta tamen conuenienter alunt.

SCHOLIA.

Pituita molesta est. *Cerebrum est membrum pituitosum, craßi maliq; succi, ægrè transit, stomacho aduersum, nauseam mouet. Ideò rectè uulgo puluere Zingiberis, ad corrigendam frigiditatem, & humiditatem, conditur.*

IIII. *Ciborum diuisio.*

Ciborũ alij ægrè transeunt uenas, βραδύποροι Græcis dicti, alij facilè transeunt, nec remorantur distributionem.

Aptè cocta. *Si tamen probè coquatur, satis nutrit.*

De Medulla.

Medulla spinarũ.

SPinarum similis cerebro solet esse medulla,
Dulcia gustanti plus tamen illa sapit.

SCHOLIA.

Duplex est medulla. *Quæ in spina dorsi continetur, aspectu & uiribus cerebro similis est.* Inde enim *originem sumere dicitur, sed ad edendum minus accommoda. Quæ in cauitatibus aliorum oßium reperitur, hæc propriè, & absolutè, sine adiectione, non ut illa medulla spinalis dicta, medulla appellatur. A qua uiribus distat, pinguis est, & esui gratior.*

DE VISCERIBVS.

Corde, Iecore, Liene.

COr, iecur, atq; lien, succi sunt nulla ferentis
Commoda, sed nigra corpora bile grauant.

SCHOLIA.

Commoda. *Mali succi sunt.* Differunt tamen *inter se gradibus. Lienis siquidem caro ex his potiß. est, & malum melancholicumq; succum gignit.* Cor-

dia

dis & epatis carnes ægrè coquuntur transcumq́;, ob succi quem producunt craßitudinem.

De Pulmone.

Concoctu facilis pulmo est, & laxior illis,
Sed nimio utentes phlegmate tardat ali.

SCHOLIA.

Pulmo quidem faciliùs concoquitur dictis uisceribus, uerùm parum nutrit, & pituitosum sanguinem gignit.

De Intestinis.

Intestina quoq; humorem crassum omnia gignunt,
Incondita magis, puluerulenta minus.
Cætera præstabunt Medici, *maiora profeßi,*
Noster in exiguo puluere sudat equus.

SCHOLIA.

Intestina dura, concoctu difficilia, & pituitosa.

Incondita. *Condiuntur enim Zingibere, more cerebri, ut melius in stomacho conficiantur.*

Cætera. *Reliqua à Medicis requirenda, qui integram artem docent.*

Noster in exiguo. *Nos tantùm elementa tradimus.*

DE AVIBVS.

Discrimen inter auium et quadrupedũ carnes,
Quæ uolatu nitũtur animalia, faciliùs quidẽ concoquuntur, quàm quæ pedibus fidunt, sed non ita copiosum nutrimentum præbent, ut illa.

Aues.

PLumigerarum auium ratio est diuersa, quòd illæ
Digestu faciles, corpora peiùs alunt.

SCHOLIA.

Diuersa. A quadrupedibus.

Digestu. Concoctu. Aliud autem Medicis digestio significat.

Peius. Minus, non deterius. Nam bonum gignũt sanguinem.

Perdix, Columbi, Phasiani.

EX his præcipuè Perdix, teneriq; columbi,
Et quæ de Scythico Phaside nomen habet.

Gallinæ.

GAllinæq; hominum manibus data pabula pastæ,
Coniugio pingues Galle propheta tuo.

SCHOLIA.

Galle propheta. Prædicit enim futura, ut mutationes aëris, tempestates, &c.

Attagen.

ET quas prisca suis celebrauit Ionia mensis,
Ignotæ nostras (ut reor) inter aues.

Paruæ auiculæ.

FIrmius in paruis alimentum creditur, ut aquas
Allectas pastu retia parua trahunt.

Firmius. Solidius alimentum.

Merula, Fringilla, Passer, Alauda.

Vocales merulæ, fringillaq; frigore gaudens,
Et passer petulans, & galeata caput.
Sed tamen à nostris patinis procul improbe passer
Esse uelis, plus te dulcis alauda placet.

Luscinia.

Voce sua melius uernabit Daulias ales,
Poßit ut ingratæ quàm cibus esse gulæ.

Epops.

Stercoreos edat ille Epopes, dirasq; Celenos, Harpyiæ.
Qui tantum poßit non metuisse nefas.

Turdus.

Inter aues Turdus qui dixit, gloria prima est,
Quercubus Epyri uerior ille fuit.
Plus tamen hanc commendat hyems æstate uolucrem,
Tunc loca iuniperis nanq; referta colunt:
Gratior autumni præpingues copia reddit,
Tunc humiles colles, & loca plana colunt.

SCHOLIA.

Qui dixit. *Martialis.*

Plus tamen hanc. *Alia animalia alijs temporibus sunt meliora, propter nutrimenti uel copiam, uel bonitatem. Ita turdi autumno quidem sunt pinguiores, hyeme uerò salubriores.*

Pauo.

QVid moror in paruis? mensarum gloria Pauo,
Plus lauti & nitidi, quàm bonitatis habet.
Intulit hunc primus cœnis Hortensius audax,
Addubites lingua doctior, ánne gula.

SCHOLIA.

Quàm bonitatis habet. Est enim caro eius dura, fibrosa, concoctu difficilis.

Anser.

SAepe meas oneret mensas fluuiatilis anser,
Dum diffarcta grauet corpora pinguis adeps.
Corpora multũ implet, sed adhæret inutilis humor,
Et stomacho insidens uix bene digeritur.

Alæ auium.

Tu tamen implumes sapienter adederis alas,
Rectius his editur partibus omnis auis.

SCHOLIA.

Implet. Medicum uocabulum est, & significat nutrit. Sic enim loquitur Hippocrates: Ῥᾷον πληροῦσθαι ποτοῦ ἢ σιτίου. Id est, facilius est nutriri potu, quàm cibo. 2. Aph. 11.

Inutilis. Sed gignit malos humores.

Alas. Exceptis alis, quæ inter omnes partes uolucrum sunt potissimæ.

Anas.

PAruum distat anas, ceruice et pectore præstans,
Dixerit ergo aliquis, cætera redde coco.

SCHOLIA.

Paruum distat anas. Ab ansere. Est enim ualde cognata illi, quod caro indicat.

Cico-

Ciconia, Grus.

MVnda ualebat edi rostratior omnibus ales,
Sed Palamedeæ præualuistis aues.

Cygnus.

QVi primus docuit Phœbæos mandere Cygnos,
In Phœbum & Musas impius ille fuit.
Sed tamen hos eadem ratio est imponere mensis,
Quæ reliquis raro parcit aquatilibus.

Eadem ratio. *Scilicet fames, uel potius luxus & gulæ.*

REGVLA.

OMnes nanq; ferè sunt deterioris eduli,
Quæ uolucrum fluuios pigraq; stagna colũt. Aquaticæ omnes.

DE FRVCTIBVS Arborum.

NVnc quid ab arborib. prosit noceátue legẽti,
Parte aliqua tantùm, sed breuiore, canam.
Nec mea glandiferas quercus nondum orbis adulti
Musa canet, uerùm temporis huius opes.
Præcipuè autumni prægnantes diuitiis hortos,
Copia quem cornu tota fluente beat.

De Ficis & Vuis.

ERgo tot inter opes regnantis fructibus anni,
Prima locum meritò ficus & uua tenent.
Vtraq; nam succis implet melioribus, & nil
Quæ noceant uicij damna ferentis habent.

SCHOLIA.

Regnantis fructibus anni. *Autumni.*

De Ficis.

Duplex est Ficus: Syluestris, quæ caprificus dicitur, nobisq; prorsus ignota est: & satiua, quæ etiam in Germania à quibusdam colitur. Verùm eius fructus rarò ad perfectam maturitatem, ob cœli frigidam intemperiem, perueniunt. Adferuntur autem ad nos tria ficorum genera. Vulgares in magnis sportis, quæ Germanicè Korbfeigen *dicuntur. Deinde aliæ, quibus folia Lauri inseruntur, uulgo* Laubfeigen *appellantur. Tertium genus Maßilienses uocant, quòd ex Maßilia adportantur. Est & peculiare genus ficorum, quas Caricas Veteres appellauerũt. Quidam utuntur hac uoce pro siccis ficis.*

De Vuis.

Vuarum plura genera sunt, quæ certis nominibus describi haud possunt: differũt loco, colore, sapore, & bonitate. Quæ ex saporibus differentia sumitur, ad præsens institutum sufficit. Appellationum uarietas, & ad singulas species accommodatio, à Grammaticis petenda est. Quædam igitur sunt dulces, quædam acidæ, quædam acerbæ, quædam mixtos sapores habent.

De uuis paßis.

Vuæ paßæ sequuntur naturam uuarum, ex quibus fiunt. Sunt tamen illis meliores, calidiores, stomacho

macho gratiores, plus nutriunt, sed aluum minus molliunt. Harum tria genera in usu sunt. Vulgares & omnibus notæ, quæ in sportis, quemadmodum fici circunferuntur, simpliciter uuæ passæ dicuntur. Sunt & aliæ maiores atq; grandiores, quas Medici & Pharmacopolæ Cibelas uocant. Minimè uulgo Passulæ, uel Corinthiæ appellantur. Adferuntur ex Lusitania.

Collatio ficorum & uuarum.

Ficus & uvæ primas inter fructus arborum tenent. Nam plus reliquis nutriunt, & succus minus uitiosos gignunt. Verùm ficus melioris sunt succi, & copiosius alimentum uuis præbent, uentrem subducunt, urinam mouent, renes purgant, præcipuè ualde matura. Vuæ si non descendunt, non concoquuntur, sed crudum gignunt humorem. Cùm uerò descendunt, mediocrem magis.

De Moris.

ALba prius, nunc rubra tuo de sanguine Thysbe,
Humida sunt multum, frigida mora minus.
Ante cibos gustata alios, sunt mollia uentri,
Et stomacho, quamuis parua alimenta ferant.

SCHOLIA.

Humida mora minus. Humectant uehementer, & mediocriter refrigerant.

Sunt mollia uentri. Molliunt aluum ante alios cibos sumpta, idq; de probè maturis intelligi debet.

Parua

Parua alimenta ferunt. *Sunt exigui nutri menti.*

De Rubis.

Similes Moris sunt aliqua ex parte, fructus bati, & rubi Idæi, sed non in arboribus nascuntur. Batos *siue rubus simpliciter duplex est.* Alter *uocatur rubus,* Brambeern, *uel* Kratzelbeern strauch. *Fructus, mora rubi.* Alter *peculiariter uocatur* χαμαιβάτος, *qui in agris quibusdam serpit, inuisus rusticis, fructus prioribus aspectu & uiribus similis, astringit uentrem, maximè ubi non perfectè maturuit.* Idæi *rubi fructus,* Himpbeer *Germanicè appellantur. Conducunt stomachicis, id est, cibum non continentibus.*

De Fragis.

Cognata dictis fructibus sunt et Fraga, *de quibus plura apud poëtas, quàm* Medicos *reperiuntur.* Vir*gilius uocat humi nascentia fraga, propterea quòd non altè assurgant, sed ad terram declinent. Quò Germani quoq; respiciunt, uocant enim* Erdbeer. *Item alibi poëta scribit:* Montanaq; *fraga legebat, hic locus describitur, in montibus siquidem copiosissimè proueniunt.* Duo *sunt genera fragorum.* Alterum *est illud notissimum, de quo iam propriè dixi.* Alterum *habet fructum oblongiorem, pallidiorem, atque duriorem.* Vnde *dum manditur, quasi fragorem quendam edit. Quare à Germanis* Knabelbeer *uocatur.*

De

De Cerasis.

Noxia sunt stomacho Cerasi, prædulcia poma,
Ingerat hæc eadem si quis acerba, iuuant.
Illa mouent, hæc astringunt communiter aluum,
Vis uuas eadem rubraq; mora tenet.

SCHOLIA.

Noxia stomacho. *Dulcia enim omnia ut pectori gratißima & amicißima, ita stomacho parum idonea sunt.*

Acerba iuuant. *Astringunt enim, & corroborant uentriculum.*

Vis uuas eadem. *Hæc est generalis regula de omnibus fructibus. Dulcia soluunt aluum, austera astringunt, confortant.*

ANNOTATIONES.

Cerasa, siue ut quidam legunt, Cerasia, à ceratijs multis modis differunt, sunt enim ceratia fructus longi, lati, compreßi, subnigri, duro cortice, in quibus nuclei multi, tenaces, & substantia quæ edendo est continetur, Græcis κεράτια, *uel* ξυλοκέρατα, *uulgo in Pharmacopolijs corrupto uocabulo Xylocrata, Germanicè* Johans brot/ & Bockshörnichen *appellantur. De quibus hoc loc nulla mentio fit. Habent autem in summa uires astringendi aluum, difficulter conficiuntur, & parum nutriunt. Cerasorum uerò differentias uix aliquis proprijs aptisq; uocabulis efferre potest, idq; ad* Gramma-

Grammaticos magis quàm ad Medicos pertinet. Hîc de uiribus, quæ non ex appellationibus, sed ex saporibus deprehenduntur, instituta tractatio est.

De pini nucleis.

Nuces pineæ.

VT *iuuat utilibus uentrem nux pinea succis,*
Sic ægrè uires exuit ipsa suas.

SCHOLIA.

Vtilibus succis. *Bonum gignit sanguinem, probéq; nutrit.*

Vires exuit. *Idest, concoquitur.*

ANNOTATIONES.

Nuclei qui in conis pini reperiuntur, Græcis κονάρια, & στρόβιλοι, in Pharmacopolijs hodie Pineæ nominantur. Horum usus in his præsertim terris, magis est in Medicinis, quàm in cibis.

De Persicis.

PE*rsica quisquis edes, cœnæ sint prima uideto,*
Ne noceant alio non citò pulsa cibo.

SCHOLIA.

Cœnæ sint prima. *Primò, uel ante alios cibos sumenda.*

Ne noceant. *Ne corrumpant alios cibos. Sumpta enim postremo loco, facilè corrũpuntur. Corrupta*

pta deinde alia quoq; alimenta uiciant.

De Armeniacis.

Ex persicorum genere sunt Armeniaca, minora quidem persicis, sed suauiora, & palato gratiora melioraq;, colore subflauo, citò maturescunt, quamobrem à Romanis præcocia adpellantur. Germani Morellen uocant.

De Malis & Piris.

DVlcia mala calent reliquis magis, & citò uentrē Mala dulcia.
Restituunt: acidis frigidus humor inest.
At stomachum firmant, aluumq; austera cohercent, Acida. Austera.
Præcipuè arboribus quæ legit alta Cydon. Cydonia
Quæ pira non leuius matura, & grandia prosunt, Pira.
Sed plus corporibus roboris inde uenit.

SCHOLIA.

Calent reliquis magis. Alijs sunt calidiora, uel magis calefaciunt.

Ventrem destituunt. Citò distribuuntur ex uentre in totum corpus.

Acidis frigidus humor. Acida refrigerant.

Alta Cydon. Cydonia, uel cotonea mala.

ANNOTATIONES.

Malorum & pirorum quoque non minor quàm uuarum & cerasorum est uarietas, quam describere ut difficilimum, ita ad præsens negotium parum necessarium. Ad facultates enim cognoscendas sapor

consulendus est, quocunq; etiam modo appellentur.

De Cotoneis malis.

Variat figura in hoc genere fructuum Alia enim mala, alia pira referunt, quamobrem hæc à Germanis Quittenbirn/illa Quittenöpffel nominantur.

De Malis punicis, Mespilis, & Sorbis.

PVnica non implent adeò, sed frigore lædunt,
Mespila, ut adstringant, sorbaq; laxè uora.

SCHOLIA.

Non implent adeò. Parum nutriunt, ut suprà dixi.

Frigore lædunt. Frigefaciunt. Non autem lædunt, nisi immodicè ingerantur.

ANNOTATIONES.

Mala punica & granata fortasse appellantur à multitudine granorum, quæ continent. Est etiam reperire genus sine granis, quæ Græci ἀπύρηνα uocant. Tria numerantur genera Punicorum, alia dulcia sunt, alia acida, alia medij saporis, siue uitiosa. Facultates ipsorum ex saporibus facilè cognoscuntur.

De Iuglandibus, & Auellanis.

IVglandes prodesse ferunt, nec pascere multum,
Pascere auellanas plus, ualuisse minus.

SCHOLIA.

Valuisse minus. *Difficiliùs concoquuntur.*

ANNOTATIONES.

Nuces dici, à nocendo, Grammatici autumant. Græcorum quidam καρύα, quòd κάρυ βαρεῖαν faciant, nominari tradunt. Quanquam non omnes nuces lædunt, aut caput grauant. Nux absolutè ponitur pro iuglande. Vt Ouid. de Nuce: Iuglandes quid sint, nemini non constat. Vocantur Græcis καρύα βασιλική. Auellanas Græci λεπτοκάρυα uocant, nascuntur in Corylis. Est & aliud genus auellanarum, Pontica propriè dicta, uulgo Lampertische nusse/ *reliquis multò præstantiora.*

Nuces à nocendo

De nuce Aromatica.

Obiter nucis Aromaticæ, quam uulgo Muscatam uocant, mentionem faciendam duxi. Confortat caput, & multos in Medicina usus habet.

De Amygdalis.

Diues amygdalino mensam sine lacte caueto,
Pauperibus medicam non tulit ullus opem.

SCHOLIA.

Amygdalino lacte. *Succo uel iure amygdalorum. Dicitur autem μεταφορικῶς lac, quia colorem & consistentiam lactis habet.*

ANNOTATIONES.

Duo sunt Amygdalorum genera: Dulcia, & amara, quæ aliàs quoq; nuces amaræ dicuntur. Horum tantùm in Medicina usus est, illorum in Medicina & in culina. Attenuant, & uiscera expurgant ambo, sed amara magis.

De Prunis.

Barbara longinquis quæ misit pruna Damascus,
Ante cibos aluum sumpta mouere solent.

SCHOLIA.

Quæ misit Damascus. Damascena pruna.
Aluum mouere solent. Dulcia scilicet. Nã uarios sapores habent. Quare non est omnibus eadem facultas.

ANNOTATIONES.

Pruna Germanicè pflaumen. Varia sunt genera: Damascena, & Vngarica, sunt præcipua, quæ siccata Grosse quetzken dicuntur. Bohemica, Kleine quetzken nominantur. Cerea pruna, Spilling. Brabyla, Kriechen. Syluestria pruna, Schlehen.

De Glandibus, & Castaneis.

Si quem sacra tui uictus Dodona iuuabunt,
Setigeri stomachum uellet habere suis.
Castaneas molles patulæ sub tegmine fagi,
Ipse ego pro duris glandibus esse uelim.

SCHOLIA.

Tui uictus, Glandes.

Setigeri

Setigeri suis. *Est enim pabulum suum potius, quàm hominum.*

Pro duris esse uelim. *Nam omnibus modis castaneæ glandibus meliores sunt.*

DE LEGVMINIBVS.

SVnt etiam uario diuersa legumina pastu,
E quibus audaci legimus ista manu.

SCHOLIA.

Vario pastu. *Ex quibus uaria edulia conficiuntur.*

De Lentibus.

LAxior exiguas lentes potes esse, sed illis
Ater in exiguo corpore succus inest.

SCHOLIA.

Laxior potes esse. *Quia astringunt.*
Ater succus inest. *Melancholicus humor.*

ANNOTATIONES.

Lens, German. Linsen / inter reliqua legumina mali succi est, inflat, atram bilem gignit, bis cocta præsertim, aluum constringit. Ius uerò illius soluit aluum.

De Fabis, & Pisis.

SAEpe fabæ leni sufflarunt corpora flatu,
Pisa minus, bilem sed peperere nigram.

SCHOLIA.

Pisa minus. *Ambo inflant, sed pisa minus.*

De Cicere.

AT tibi quæ clarum peperere legumina nomen,
Nomine sunt Cicero nunc quoq; grata tuo.
Exhaustis reparant genitalia semina membris,
Nec Venerem uires deseruisse sinunt.
NB: *Quin etiam lapidem uesicæ sæpe minutim*
Duriter hærentem dissecuisse solent.

ANNOTATIONES.

Cicer, Kichern/*uariat colore. Aliud enim albū, aliud nigrum, aliud rubrum est, uiribus conuenit. Omne enim Cicer inflat, ideoq; Venerem stimulat, genituram auget, lactis abundantiam facit, calculum renum uesicæq; minuit, aperit, menses ducit &c.*

De Lupinis.

REptilibus Cynicum uescatur turba Lupinis,
Immundos decuit sordida pera canes.

ANNOTATIONES.

Lupinorum, Feigbonen/*nullus iam usus est amplius in culina, sed tantum in Pharmacopolijs. Difficulter concoquuntur, crudum humorem gignunt, & ægre transeunt. In Medicina uerò multas utilitates habent, quas hoc loco referre alienum est.*

De Fœnograeco.

SAepe aliquem memini de fœno dicere græco,
Ante cibum sumptum calfacit & soluit.

ANNOTATIONES.

Nec hoc legumen apud nos inter cibos refertur, quare de eo dicta ab ipso Autore sufficiunt.

DE OLERIBVS

PLura nec hîc opus est, nec uulgi postulat usus,
Ergo etiam hîc olerũ nomina pauca canã.

De Lactuca.

HOrtorum Lactuca decus, quia friget & humet,
Sæpe leues somnos conciliare solet.
Atq; ut corporibus reliqua omnia uincit alendis,
Sic uiui succus sanguinis inde uenit.

SCHOLIA.

Quia friget & humet. *Habet uim frigefaciendi & humectandi.*

Somnos conciliare solet. *Est ὑπνοτικὸν siue soporiferum. Omnia enim frigida & humida sunt somnifera.*

Reliqua omnia. *Olera non alimenta. Nam olerum exigua est alimonia, si ad alia edulia conferantur.*

Viui sanguinis. *Probi sanguinis.*

ANNOTATIONES.

Lactuca uaria est, sed uires eædem, refrigerat et humectat, somnum conciliat. Quòd si quis, ne fri-

gditate ipsius stomachus offendatur metuit, addat aliquid zingiberis, aut uinum superbibat.

De Beta.

CRuda est beta, nocet, coctam sumpsisse iuuabit:
Sumpta frequens stomachũ uellicat, atq; iecur.

SCHOLIA.

Stomachum uellicat. Mordet, propter amaritudinem, maximè quibus est ualde sensificus.

ANNOTATIONES.

Beta duplex est. Alba, qua utimur loco oleris: & nigra, cuius radix tantùm in usu est. Conditur autem & apponitur assis, & uocatur Rot rüben.

De Brassica.

BRassica uentris onus bis cocta comestaq; sistet,
Sed semel & modicè cocta, resoluit idem.
Profuit hanc succo conspergere pinguis oliuæ,
Lac auget, multum sanguinis esse facit.

SCHOLIA.

Bis cocta. Dicitur autem bis cocta, non ut uulgus usurpat, cùm dicit, à cibo bis cocto, abstinendum esse, qui denuò alio tempore coquitur, sed quando priore aqua effusa, alia affunditur, & deinceps coquitur cibus.

Resoluit. Laxat.

Succo pinguis oliuæ. Oleo.

Sanguinis. Seminis legendum. Quæ enim lac augent, augent & semen.

ANNOTATIONES.

Braßica uulgo dicitur Braun kôl / oder blaw Kôl. Bis cocta astringit aluum. Nam nitrositas eius, qua aluum soluebat, in aquam transijt. Semel cocta uires suas retinet, abstergit igitur, & intestina ad expulsionem irritat. Est & aliud genus braßicæ, quod in magna capita accrescit, braßica Cumana, siue sessilis dicta. Omnis autem braßica officit oculis, quod literarum studiosis inprimis scitu necessarium est. Quid marina braßica sit, non est huius loci explicare.

Blitum.

IGnauum sine honore blitum, sine uiribus, estur
Hoc solo, uentrem quòd bene deijciat.

SCHOLIA.

Ignauum. Insipidum.

Sine uiribus. Sine excellentibus qualitatibus, seu, ut Dioscorides loquitur, οὐδεμίαν ἔχει φαρμακώδη δύναμιν, non quòd nullum prorsus usum habeat. Testis etiam nostræ sententiæ est Plinius, qui ita scribit: Blitum iners uidetur, ac sine sapore, aut acrimonia ulla, lib. 21. ca. 22.

Hoc solo. Nomine.

ANNOTATIONES.

Olim fuit notiß. herba Blitum, adeò ut etiam in prouerbium abierit, nunc haud scio an ab ullo agno-

ſcatur. Variant enim opiniones, & adhuc ſub iudice lis eſt. Sed quorſum opus eſt de re non magni momenti curioſè ſcrutari.

Eruca.

HErba ſalax Eruca, deæ gratißima amorum,
Sæpe uelim noſtras condiat illa dapes.
Illa leui flamma frigentes calfacit artus,
Illa leuat feßi tædia longa thori.

SCHOLIA.

Deæ amorum. *Veneri.*

Feſsi thori. *A frigiditate. Habet enim facultatem calefaciendi.*

ANNOTATIONES.

Hæc herba non admodum in uſu eſt in culina, in Medicina autem magnum uſum habet.

Satyrion & Vrtica.

MIſcueris dictam Satyrorum à moribus herbam,
Vrticæq; leui ſemina trita manu.
Hei mihi ne caſtas ſpectatum uade puellas,
Iſte furor nulla dißimulatur ope.

ANNOTATIONES.

Neq; hæc herba hoc nomine Germanis in uſu eſt. Vrtica uerò cum reliquis oleribus in multis locis coquitur, & adponitur, calefacit, aluum ſubducit, & parum alit.

Naſtur-

Nasturtium.

Hinc nigra quæ gelidis gaudent nasturtia riuis,
Offendunt stomachum, sed Venerem stimulãt.

ANNOTATIONES.

Nasturtio nos magis in acetarijs, quàm cibis utimur.

Intybus, Malua.

Rara cibos ineunt cum dulcibus intyba maluis,
Rectè utrunq; tamen, si libet, esse potes.

Hæc quoq; rarò comeduntur.

Attriplex.

Frigidus attriplicum choleræ uim discutit humor
Coctarum, crudis uirus inesse puta.

SCHOLIA.

Humor frigidus attriplicum. *Attriplex quæ habet uim refrigerandi.*

Discutit. *Pellit, curat. Contraria enim contrarijs curantur.*

Vim choleræ. *Bilem.*

ANNOTATIONES.

Attriplex, Melden/duplex: Hortensis *& syluestris, frigida & humida utraq;, sed illa magis, mollit aluum, & biliosis cibus accommodatiß. est.*

DE RADICIBVS.

Nunc

NVnc age quæ solis ualeant radicibus herbæ,
Vsibus humanis commeminisse iuuet.

SCHOLIA.

Quæ solis radicibus. *Quarum radices tantùm in usu sunt.*

ANNOTATIONES.

Multæ sunt partes plantarum: folia, caules, semina, fructus, germina, radices, quarũ interdum quædam tantùm usurpantur, ut in leguminibus exempli gratia uidere est. Interdum omnia, ut in quibusdam oleribus. Cæterùm non ignorandum est, non omnium partium semper eandem esse naturam, imò aliquando planè diuersam, ideo diligenter, de qua parte autores scribant, obseruare oportet.

De Rapis.

COmmoda multiuoris præbent alimenta colonis,
Rustica proiectis eruta rapa comis.
Nam quia naturæ calidæ uim temperat humor,
Inflat, alit, Veneris dulcia bella mouet.

SCHOLIA.

Multiuoris. *Edacibus. Quare autem rustici sint edaces, petenda causa ex superioribus, ubi de appetitu agitur.*

ANNOTATIONES.

Rapum notißima radix est. Est aliud genus rapo-
rum

rum in Lusitania latius presiusq;, & magnam acrimoniam in exteriore parte habens.

De Napis.

Huc & Napi (Steckrüben) pertinent, sunt rapis densiores, & solidiores, & non solùm cocti eduntur, sed etiam crudi cum sale, in delitijs apud quosdã habentur.

De Bulbis.

Longa breues stomachi pellunt fastidia bulbi,
Iamq; olim Veneri mortua membra nouant.
Humores grauido uiscosos pectore ducunt,
Corpora bis cocti plus aluisse solent.
Adde garum succumq; oleæ, magis omnia præstant,
Sed tamen & flatus torminaq; efficiunt.

SCHOLIA.

Breues. Rotundi.

Humores ducunt. Educunt.

Plus aluisse. Deposita amara qualitate ipsorum.

ANNOTATIONES.

Quid sint Bulbi, nondum in Germania satis constat, uocantur autem inde radices bulbosæ, rotundæ uidelicet, & tuberosæ, ut allij, ceparum &c.

De Pastinaca.

Sunt etiam calidi mensis sua munera Dauci,
At uitio, cocti non satis, esse solent.

SCHOLIA.

Calidi. Et humidi.

ANNOTATIONES.

Daucus impropriè pro Pastinaca ponitur. Sic & Græci quidam δαυκίας usurpant. Notæ sunt radices, aliæ buxei, aliæ crocei coloris. Viribus cognatæ sunt rapis, sed uiribus minus nutrire feruntur.

De Allio.

Allia si quantas habeant graue olentia uires,
Quæris, habe paucis, quæ meminisse iuuet.
Hoc hortense genus Græci σκορόδωνα uocârunt,
Hoc ceu Theriacam rustica turba probat.
Nanq; uenenatis melius uix ulla medentur
Pharmaca, serpentes illius arcet odor.
Morsu letifero quem læsit araneolus mus,
Hoc bibat, hoc etiam dira aconita fugat.
Præterea coctúmue cibo, crudúmue comestum,
Calfacit, & stomachos humiditate leuat.
Est tamen ex multis alijs nescire pudendum,
Quòd nihil hoc Veneri gratius esse solet.
Verùm oculis stomachoq; nocet, si copia sumpti
Multa sit, & sicca conficit ora siti.

SCHOLIA.

Hortense genus. Est enim duplex: Satiuum & syluestre.

Rustica turba. Ideo uocatur uulgo Theriaca rusticorum. Nec immeritò rusticis semper in promptu est, & contra uenena efficax, odoreq; arcet uenenata animalia, ut & ex illo Disticho Virgilij patet:

Thestilis

Thestilis & rapido fessis messoribus æstu,
Allia serpillumq; herbas contundit olentes.

Causam Aemilius Macer sequentibus uersibus exponit:

Hæc ideo miscere cibis messoribus est mos,
Vt si fortè sopor fessos depresserit illos,
Vermibus à nocuis tuti requiescere possint.

ANNOTATIONES.

Allium notius est, quàm ut opus habeat explicatione. Illud tantùm hoc loco referre non alienum uidetur, cùm fœtor allij reliquis, qui id non degustauerunt, sit longè grauissimus, & molestissimus, quod remedium sit adhibendum, ut qui sumpserunt alios non offendunt. Macer Zedoariæ radicem id efficere tradit, his uerbis:

Allia quem faciunt, fœtorem pellit ab ore.

De Cepis.

Vilia mordaces quamuis sint prandia cepæ,
Cruda tamen stomachi dissoluisse solent.
Plura malis coctæ (crudas nocet esse) medentur,
Esse tamen noli, qui memor esse uoles.

SCHOLIA.

Vilia prandia. *Parum enim nutriunt coctæ, crudæ nihil, & magis gulæ causa, quàm nutriendi gratia alijs cibis adduntur.*

Esse tamē noli, *Hoc diligenter literarū deditis obser-*

obseruandum est. Lædunt etiam oculos. Rarò igitur degustandæ.

ANNOTATIONES.

Cepæ calefaciunt & desiccant, bis coctæ aliquid nutriunt, & minus noxiæ sunt.

De Porro.

Officiunt oculis capitati segmina porri,
Interiora graui uiscera mole premunt.
Hinc uario surgunt insomnia, plena tumultu,
At Venerem, sicut talia cuncta, mouent.

SCHOLIA.

Talia cuncta. *Bulbosa uel flatuosa.*

ANNOTATIONES.

Porrum notum est. Calefacit & desiccat non mediocriter, acrimoniam insignem habet, conuenit pituitosis, & qui craßis crudisq; humoribus molestantur, propter facultates dictas. Biliosis *uerò inimicum est.* Bis *coctum (ut dicta omnia) magis conuenit. Nam acrimoniam uitiumq; omne hoc pacto præparatum deponit.*

De Raphano.

Præteriturus eram Raphani bona, qualibus aiunt
Radices inter nomen habere bonas.
Ille replet uacuam uentosis flatibus aluum,
Ante cibos noli sumere, crimen habet.
Attamen & laudem, sensus quia reddit acutos,
Et sunt ante cibum, qui magis esse probent.

Fabula

Fabula narratur, ſacros ab Apolline Delphos
Omnibus hunc alijs præpoſuiſſe cibis.
Ex auro ut Raphanum ſacrarent, pondere betam
Argenti, plumbum rapa fuiſſe ferunt.

SCHOLIA.

Vacuam. *Ieiunam.*

Et ſunt ante cibum. *Variant opiniones de tempore ſumendi. Alij enim ante cibos, alij poſt cibos eum aſſumi uolunt.*

ANNOTATIONES.

Raphanus eſt ſine dubio radix illa, quam nos Rettich *uocamus. Quoniam uerò de tempore ſumendi dubium eſt, placet mihi ſententia Aëtij, qui ita ſcirbit: Quare meritò mirari ſubit illos, qui à cœna ipſos crudos edunt bonæ coctionis ergô. Etenim ipſi magnum eius rei experimentum ſe feciſſe iactant, uerùm nemo citra læſionem ipſos imitatus eſt. Sumpti enim poſt cibum coctionem non iuuant, ſed impediunt potius. Subinde enim eructant, uentriculum probè claudi non ſinunt, caput uaporibus replent, eiq́; grauitatem inducunt.*

De tuberibus & fungis.

SI quis amat uernæ redolentia tubera terræ,
Virtutis medicæ norit habere nihil.

De Boletis.

LAuta decent nitidæ boleti fercula cœnæ,
Sed niſi percoctis uirus ineſſe puta.

Nam neq; desipuit, qui qualem Claudius edit,
Boletum (lepido carmine dixit) edas.
Cui pituita placet, uel inani frigida succo
Pectora, fungorum milia multa uoret.

SCHOLIA.

Sed nisi percoctis. *Causa ex superioribus patet.*

Qui dixit. *Martialis.*

ANNOTATIONES.

Fungorum alij sunt edendo, alij uerò uenenosi. Vtrorumq; autem plura genera sunt, quàm uocabula. Generant omnes succos crassos & pituitosos uiscososq́;. Vt igitur minus officiant, aromatis cōdiantur riteq́; coquantur oportet.

DE FRVCTIBVS fugacibus.

De Cucurbita:

HVmida frigoribus cognata cucurbita, paruo
Quòd uires faciat pondere corpus alit.

SCHOLIA.

Cognata frigoribus. *Frigida & humida.*

ANNOTATIONES.

Fructus fugaces Græci ὡραῖα uocant, citò fiunt, & citò pereunt, nec aliorum more durare multo tempore possunt, propter humiditatis copiam. Cucurbita

curbita autem præter dicta, uentrem mollit.

De Peponibus.

PVtridis hæc eadem peponum sunt omnia succis,
Sed lapidem trudunt, membraq; bile grauant.

SCHOLIA.

Bile grauant. Gignunt bilem.

ANNOTATIONES.

Duo sunt in his fructibus in usu. Substantia ipsa & semina. Videndum igitur, de quo agatur. Substantia peponum mali succi est, ad ciendum uomitus procliuis. Semen uim habet extergendi, urinam mouet, et calculosis conducit.

De Cucumere.

HIs minus humectat cucumis frigetq;, sed idem
Et succo malus est, & malè digeritur.

ANNOTATIONES.

Cucumis urinam magis cit pepone, sed minus humectat, & refrigefacit.

De Anguriis.

Ad hoc genus fructuum, Anguriæ (Gurgken/ ut ego opinor, & preussische Limonien dictæ) pertinent, temperamento cum prioribus conueniunt. Seruantur autem cōditæ muria & anetho, atq; mensis cum aßis apponuntur.

DE FRVMENTACEIS.

FRumentis quoq; non eadem natura, nec idem
Est sapor, ex illis pauca, sed apta canam.

De Chondro, Ptisana.

NObile uiscosi genus est, nec inutile Chondri,
Grana sed ut ptisanæ uilia coctus erit.

SCHOLIA.

Vilis erit. *Parum nutrit.*

ANNOTATIONES.

Χόνδρος aliâs cartilaginem significat, hic uerò frumentum, quod aliquãdo alica dicitur. Germa. Römische Gersten. Plurimum nutrit, glutinosos humores gignit.

De Alica.

DVlci quisquis amas alicam confundere mulso,
Aßimilem Chondro noueris esse cibum.

ANNOTATIONES.

Alica aliâs significat chondrum, aliâs frumentũ repurgatum, & certo modo præparatum. Germanicè Graupen.

De Tritico.

PAbula triticeæ frugis malè cruda coquuntur,
Robur ab artocopo condita maius habent.

ANNOTATIONES.

Notum est frumentum. Panis triticeus copiosum præbet alimentum.

De

De Siligine & simila.

GRatior è molli solet esse siligne panis, Panis silligineus. Similaceus.
Mox similæ dotes nostra culina probat.

ANNOTATIONES.

Siligo non significat uulgare & usitatißimum frumentum, Rocken/ quod quidam olyram esse putant, sed est species præstantißimi tritici. Nec simula uel similago est peculiare frumenti genus, sed farina purißima, fitq́; ex tritico laudatißimo.

De furfuribus.

SEruitijs aptas præstabunt furfura cœnas, Furfuraceus panis.
His est per uentrem ianua laxa satis.

SCHOLIA.

Furfura. *Furfuracei panes.*
Ianua laxa. *Citò transit uentrem.*

De Hordeo.

HOrdea desiccant bene fricta, sed humida coctis Hordeaceus panis.
Vis erit, exiguum roboris inde uenit.

SCHOLIA.

Fricta. *Tosta.*

ANNOTATIONES.

Hordeum leuiter refrigerat, & exiccat, aliquid abstersoriæ facultatis, ex quo diuersa parantur edulia.

De Polenta.

Balnea uisurus madidas æstate polentas
Ne sitias, siccis faucibus antè uora.
Cætera uel nobis incognita sunt, uel eisdem
Viribus, & breuibus non referenda modis.

DE PANIBVS.

HActenus de frumentis dictum est, nunc quædã de panibus seorsim adiiciemus. Sunt enim panes cibi ex farina frumenti, aqua subacta, calore ignis cocti. Variant autem non solùm pro ratione propriæ materiæ, sed etiam aduenticiæ. Sunt igitur alij fermento confecti, alij fermentum non recipiunt, qui ἄζυμοι Græcis dicuntur. Hi planè referunt naturam frumenti. Qui uerò fermento condiuntur, & sale, calidiores, & sicciores durabilioresq; azymis efficiuntur, ac faciliùs concoquuntur. Horum quidam sunt ordeacei, quidam triticei, quidam olyracei. Triticei maximè nutriunt, minus olyracei, ordeacei parum. Horum alij ex puriore farina fiunt, alij ex impura, qui Latinè cibarij, Græcè αὐτοπυρῖται, & συγκομιστοὶ dicuntur. Hi illis minus nutriunt, citò descendunt ob uim absteriorian, quam furfures habent. Medij autem panes, prout plus minúsue furfurum recipiunt, eò propius ad hos uel illos panes accedunt. Est & alia differentia, quæ ex ætate sumitur. Recentes enim & qui adhuc calent, deteriores sunt reliquis, qui probè refrixerunt, & iustã ætatem

habent. Vetusti autem non probantur, maximè duriores iusto, aut situ squaloreq; obducti. Ex recentibus calentibus panibus quidam singulare ferculum parare solent, addito butyro & lacte, uel solo butyro et medullæ panis exactè admisto. Hic cibus etsi in septentrionalibus partibus usitatißimus est, ualde tamen malus est. Difficulter enim concoquitur, obstructiones uenarum meseraicarum, epatisq; facit, hinc grauitas, & tanquam pondus aliquod in hypochondrijs sentitur. Postremò hoc quoq; obseruandum, ut panis sit ritè coctus. Quantumuis enim farina bona est, tamẽ mala præparatione uitiosus panis erit. Qui igitur imperfectè coctus est, quod certis notis deprehenditur, ægrè in uentriculo conficitur, tardè trãsit, crudos succos gignit: qui nimium assatus est, atram bilem producit.

DE PISCIBVS.

SEmper edat fatuos monachorum prandia pisces,
Cui placet elumbis regula Pythagoræ.
Non quia piscitium ratione probauerit ulla,
Sed quia dixit ali carnibus esse nefas.
Et tamen hinc, quod edam, fuerit, ne fortè recusem,
Quo mea præcipuè luxuriosa gula est.

SCHOLIA.

Dixerit esse nefas. Quomodo hæc intelligenda sint, Erasmus in explicatione symboli Pythagorici; A piscibus abstineto, dilucidè docet.

De Esoce & Lupo.

NAnq; nec Esocis teneri pectuscula spernam
Mollia, nec sapidi squamea terga lupi.

De Anguilla.

ME iuuet anguillæ potius bona frustula tostæ
Mandere, quàm uetulæ uiscera cruda bouis.
Præterea facilis non sunt mala prandia mulli,
Et precium cancer, si piper adsit, habet.

De Murena.

NEc tantum è Siculo petitur murena profundo,
Omne, quod est usquã, flumina nostra ferũt.

ANNOTATIONES.

Pisces natura frigidos & humidos esse, neminem latet, siquidem in aqua elemento frigido & nascuntur, educantur, & per omnem uitæ cursum uersantur. Victu autem temperaturam respondere, ex superioribus notius est, quàm ut probatione opus habeat. Quare ad differentias piscium transeamus.

De differentijs piscium.

Saxatiles. PRæfertur quod saxa colit genus omnibus unum,
Lacustres. Nam mala limosi plura habuere lacus.
Fluuiatiles. Præstiterint etiam capti è fluuialibus undis
Paluſtres Ignauus, quales unda palustris habet.
Pingues. Qualescunq; tamen pingues fuge, pingue uenenũ est,
Omnibus & prauus piscibus humor inest.
Phlegmatico turbant tenues humore medullas,
Sanguinis inde aliquid quis putet esse boni?

ANNOTATIONES.

Sicut alia aqua melior est alia, ita quoq; pisces uariant, pro diuersitate suorum alimentorum. Saxatiles autem, uel qui in saxosis degunt locis, iudicio omnium sunt præstantißimi, & saluberrimi, & concoctu faciles. Deinde marina, uel ubi flumina in mare influunt. Palustres & lacustres sunt peßimi, & mali sanguinis genitiui. Ex his omnibus qui molli carne constant, faciliùs concoquuntur, quàm qui duram habent carnem. Sunt aliæ quoque piscium differentiæ, quas in præsentia consultò prætereo.

De piscibus sale conditis.

Pisces, ut aliæ res, naturam temperaturam condiendo amittunt. Sunt igitur pisces sale conditi calidi & sicci, habent uim incidendi & attenuandi crassos humores propter salem. Conueniunt pituitosis, cauendi biliosis & siticulosis.

De piscibus exiccatis.

Pisces autem in sole aëreq; mox ut capti atq; ab intraneis omnibus repurgati sunt, aut in fumo prius sale aliquandiu conditi desiccantur. Siccati sunt duriores, concoctu difficiliores, & qui salem habent, calorem quoq; habent.

SVMPTA EX ANImalibus.

De Ouis.

Gallinarum. Phasianarum. Anserum Anatum.

VEsceris, sed adhuc à matre calentibus ouis à
Optima Gallinæ Phasiadesq; ferunt.
At quæ Tarpæi custos Iouis excubat anser,
Quæq; parit, non sunt optima, claudus anas.

SCHOLIA.

Adhuc calentibus. Recentibus.

ANNOTATIONES.

Vna differentia ouorum à tempore sumitur. Sunt autem alia recentia, alia uetusta, alia media. Deinde differunt oua secundum animalia, de quibus rectè Autor pronunciauit. Cæterùm in omni genere recentia uetustis sunt præferenda, & longè salubriora.

Oua cocta.

Vtq; magis uires augere trementia possunt,
Sic melius stomacho sorpta uenire solent.
Fricta. Fricta meis nolim contingere plurima cœnis,
Ni soluant acri mista Falerna garo.

SCHOLIA.

Sic melius uenire. Descendere:

ANNOTATIONES.

Tertium discrimen ouorum à præparatione sumitur. Hinc alia sorbilia dicuntur, quæ scilicet leuiter incaluerunt: alia mollia, siue tremula, quæ diutius inferbuerunt: alia dura, siue cocta. Optimè nutriunt, & bonum sanguinem gignunt: mollia, sorbilia, minus alunt, sed faciliùs per aluum descendunt,

leniunt faucium asperitatem, cantoribus familiare præsidium. Dura oua difficulter coquuntur, tardi transitus sunt, crassum alimentum corpori præbent: His magis assata in cineribus. Fricta pessimum inter omnia succum gignunt.

DE CASEO.

CAseolos nisi lactantes & ab ubere pressos,
Ne crebrò comedas, consuluisse uelim.
Inde putri mordax uesicæ pondus adhæsit,
Gutta nec inde boni sanguinis ulla uenit.

SCHOLIA.

Ab ubere pressos. *Id est, recentes. Hinc uulgo dicitur: Caseus quanto propinquior lacti, tanto sanior.*

ANNOTATIONES.

Quòd caseus ex crassiori & terrestri magis parte lactis compressa & condensata conficiatur, cuiuis notum est. Accedit autem coagulum & sal. Porrò multæ sunt caseorum differentiæ, ex quibus præcipuas tantùm attingam. Cæterùm in genere omnes casei mali sunt, exceptis qui ex acido lacte fiunt. Nam ægrè cōcoquuntur, acidū ructū gignūt, flatuosi sunt, difficulter aluo discedunt. Quò autem uetustiores, eò calidiores, acriores, siticulosiores, concoctu difficiliores, & ad bonum succum gignendum deteriores, maximè putridi, qui nihil boni in se habent.

Verùm

Verùm recentes oxygalactini omnium optimi ſunt. Nam in cibo iucundi ſunt, & ſtomacho præ omnibus alijs innoxij, faciliùs coquuntur & tranſeunt, neq; craßi ſucci ſunt, ut reliqui caſei. Ex reliquis autem caſeis recentes meliores uetuſtis, laxi molleſq; denſis ac durioribus, ac dulces ſalſis. Variant deinde pro lacte animalium. Alij ſunt bubuli, alij ouilli, alij caprini, quidam mixti. Adhæc quidam condiuntur herbis, aut ſeminibus, qui reliquis ſalubriores eſſe creduntur.

DE LACTE.

LActe ferunt Nomadum gentes uixiſſe ferino,
Et mulgere truces ſæpe Cynocephalos.
Paſcitur emulctis horrens niue Sarmata bubus,
Quoſq; uiros propior Parrhaſis urſa uidet.
Hinc ſua littorei miſerunt dona Suedi,
Hinc fera fluentes Anglia caſeolos.
Hinc quàm lata patet niuei Germania lactis
Munera, præcipuè Saxonis ora probat.
Quiq; ſuis alacres habitant in montibus Heßi,
Et clauſi æternis rupibus Heluetij.
Quid Phryſios referam? quid Veſtphala rura? quid omnes
Aſſuetos placito munere lactis alit?
Corpora præcipuè cùm robore firmet alatq;,
Et citò condiſcat ſanguinis eſſe loco.
Hinc niuei craßiq; æqualiter optima uirtus,
Cætera me breuitas dicere iuſſa uetat.

SCHOLIA.

Sanguinis esse loco. *In sanguinem mutatur.*

Hinc niuei. *Notæ boni lactis.*

ANNOTATIONES.

Lac omne constat triplici substantia. Serosa, pingui, & crassa. De hac diximus, de reliquis postea quædam adiungemus.

Optimum lac est, quod purum est, mediocriter crassum, alieni odoris saporisq; expers, gustantibus dulce. Reliquæ differentiæ, quæ ab animalium habitu, à temporibus anni, à pabulis, & ab ætatibus sumuntur, dictis comprehenduntur. Non enim lac potest esse probatißimum, nisi ex sano animali, accommodato pabulo nutrito, apto tempore sit emulctum. Lac probè coctum bene nutrit, bonos humores gignit. Facilè tamen propter partium dißimilitudinem alteratur, atq; corrumpitur. In frigidiore nanq; uentriculo acescit. In calidiore in nitrosam qualitatem conuertitur. In sano autem ac bene temperato, in bonum succum mutatur. Dentibus & gingiuis inimicum. Diligenter igitur post usum lactis abluendi. Porrò lac coctum plus nutrit crudo. Reliquas facultates, & maximè medicamentosas, in præsentia omittam.

DE BVTYRO.

Butyrum recens mediocriter calefacit & nutrit. Progressu uerò temporis calidius (sicut pinguia omnia)

mnia) redditur. Iuuat pectus & pulmonem, mollit aluum. Sed calidis naturis non æquè ut alijs conuenit, uertitur enim in flauam bilem. In reliquis interdum in uentriculo copiosius sumptum, innatat, nauseam & fastidium cibi excitat.

DE SERO.

Serum est tenuißima pars lactis, quæ minimum nutrit, subducit aluum, propter facultatem abstersoriam, quam habet, sed sine mordacitate. Vnde & dysfentericis utiliter exhibetur. Vocatur à quibusdam urina lactis.

Appendix.

Hactenus simplicium alimentorum facultates potißimum expositæ sunt, nunc de præparatione eorum pauca attexere, uel potius repetere operæprecium uisum est. Nam coctione condimentis aut aromatis intenditur, alteratur, mutatur, & corrigitur natura ciborum. Sicut antea de piscibus declaratum est.

REGVLAE.

I.

Cibi sale, aut aromatis conditi, reliquis sunt calidiores & sicciores.

II.

Cibi exiccati humidis tũ sicciores, tũ minus nutriunt.

III.

Assa, tosta, in sartagine frixa, elixis suntecciora.

Exempla

Exempla ex superioribus, si libet, sumere licet.

DE VINIS.

PRæteriturus eram, quod præterijsse nocebat,
In partes siquidem Bacche uocandus eras.
Corpore nam quicunq; uoles animoq; ualere,
Scire operæprecium est, quid queat iste deus.
Omne merum uires in corpora præstat & auget,
Idq; magis, si sit craßius atq; rubens.
Dulce nocet stomacho, quamuis alimenta ministret,
Consulit huic melius, quisquis acerba bibit.
At minus hoc nutrit, multò minus alba, sed omni
Plus fuluum uino commoditatis habet.
Et siccum calidumq; magis uetus omni recenti est,
Difficiles etiam soluere musta solent.
Omnia restituunt cognatum uina colorem,
Et citò pars melior sanguinis inde uenit. Commoda modicè sumpti uini.
Nam penetrat, partesq; cibum partitur in omnes,
Membraq; restituit, quæ tenuata iacent.
Languentis pellit stomachi fastidia, & auget
Esuriem, reficit quos pituita grauat.
Bile per urinas uacuat, redditq; calorem,
Exhilarat mentes, robora firma facit.
Talia uina quidem modicè data, commoda præstãt,
Immodicè noli sumere, sumpta nocent.
Vtq; frequens nocet ebrietas, sic rara iuuabit,
Et sumptum prodest euomuisse merum.

Inuitant

Inuitant ſtomachum raræ bona pocula menſæ,
Plus nimio corpus multiplicata grauant.
Quòd ſi nec fueris abſtemius, & nec aſotus.
Crede mihi, punctum quodlibet inde feres.
Nec mihi Clitorio quiſquam de fonte loquatur,
Copia dum largum fundat amica merum.

SCHOLIA.

Dulce nocet ſtomacho. Κακοςομάχον.

Acerba. *Sunt enim* ἐυςόμαχα.

Parteſq; cibum partitur in omnes. I*deo ab* Hippo. ὄχημα τροφῆς *appellatur.*

Membra tenuata. *Exhauſta & euacuata. Ideo conualeſcentibus ex morbis uinum exhibetur.*

Languentis ſtomachi. *Hoc conſilio D. Paulus Timotheo ſuo uini potionem ſuadet. Ita enim ſcribit : Ne poſthac bibas aquam, ſed uino pauco utere, propter ſtomachum, & crebras tuas infirmitates. 1. Timoth. 5.*

Auget eſuriem. *Excitat adpetitum. Videntur hæc cum Aphoriſmo Hippo. (Famem meri potio ſoluit) pugnare. Sed plana eſt reſponſio. Vinum quoniam uires uentriculi reparat, ac confortat, caloremq; natiuum auget, omnes actiones eius excitatiores reddit. Hippocrates uerò non loquitur de naturali appetentia cibi, ſed de uitioſa, quæ uel à frigida intemperie orificij uentriculi, uel ab acidis humoribus, eidem particulæ inſertis naſcitur, & ad im*

moderatam

moderatam cibi quantitatem fertur, quæ Græcis κανώδης *&* ὄρεξις *nominatur.*

Vtq; frequens nocet ebrietas. *De ebrietate suprà dictum est.*

ANNOTATIONES.

In uino consideranda sunt, color, sapor, odor, consistentia, ætas. Ex his natura & potentia eius cognoscitur. Colores sunt albus, niger, fuluus, flauus, & ruber, & medij colores. Sapores dulcis, acidus, astringens. Odor, quædam uina sunt odorata, & aut suauem odorem, aut medicamentosum, præ se ferunt. Quædam sunt inodora. Alia crassam, alia tenuem, alia mediocrem consistentiam habent. Quædam sunt recentia, quædam uetusta, quædam mediocria. Omne autem uinum qualecunq; est, nutrit, ad hæc calefacit & exiccat. Recens in primo, uetustum in tertio, medium in secundo ordine calidum est. Rubens & crassum reliquis plus corporibus nutrimenti præbet, non tamen plus boni succi. Dulce etiam plurimum nutrit, sed stomacho non admodum gratum. Austerum uerò stomacho quidem amicum, sed parum nutrit, ægrè in corpus digeritur. Album omnium minimè alendo corpori idoneum, præsertim tenue & aquosum, quod Græci ὑδατῶδες *&* ὀλιγόφορον *uocant.* Ὑδατῶδες, *quod tum colore, tum consistentia aquæ non multum dißimile est. Olygophorum, quod parum aquæ in mixtura admittit. Huic contrarium* οἰνῶδες, πολύφορον, *uino-*

sum, & quod multum aquæ citra iacturam suam ferre potest. Reliqua ex dictis haud difficulter æstimari possunt.

De lora uini.

Ex uinaceis affusa aqua lora conficitur, potus uilißimus, qui parum admodũ ab aqua differt. Ad sitim restinguendam non incõmodus, ad nutriendum uerò minimè idoneus. Paratur non uoluptatis, sed neceßitatis gratia.

De Aceto.

Vinum sæpe in acetum degenerat, sæpe arte coacescit, huius magnus in culina usus est. Nam & ad asseruandas & ad condiendas alias escas plurimum confert. De temperatura magna inter autores controuersia est. In hoc tamen præcipui cõsentiunt, quòd uim habeat refrigerandi magis, quàm calefaciendi. Exiccat tertio gradu, estq; ualde tenuium partium, crassos & glutinosos humores attenuat atq; incidit, adpetentiam cibi excitat, sed partes neruosas offendit.

De Aqua.

Aquæ maximus in uita usus est, non solùm ad cibos & potus, sed etiam ad balnea Quare de eius uiribus pauca referre non alienum est. Optima igitur aqua censenda, quæ omnis alieni saporis odorisq; expers, gustu suauis, pura, limpida, & quæ citò ab hypochondrijs discedit. Hippoc. ita describit optimam aquam: Aqua quæ citò calet, & citò refrigeratur, leuißima i. optima est. Inter perspicuas n. notas salubris aquæ recẽsetur facilis alteratio. Reliqua ex scriptorib. rei rusticæ Medicisq; petere licebit,

DE CEREVISIA.

QVi docuit crasso Cererem confundere succo,
Huic iratus erat Bacchus & ipsa Ceres.
Nam Pelusiaci qui laudat pocula Zythi,
Illi nec cerebrum, nec caput esse potest.
Renibus & neruis cerebroq; hic noxius humor,
Sæpe etiam lepræ semina fœda iacit.

SCHOLIA.

Crasso succo. Aqua. Cererem. Frumentum. Pelusiaci Zythi. Ideo uocat Pelusiacum zythũ, quia apud Aegyptios primò inuẽtus esse dicitur.

ANNOTATIONES.

Quæ mea sit de crasi & uiribus cereuisiæ sententia, infrà de Cereuisiarũ facultatibus abundè exposui, quam hoc loco retractare superuacaneum esse duco. Illud tantũ repetam, hæc omnia, quæ ab autore scribuntur, ex ueteribus esse sumpta, & de illorum, non de nostra Cereuisia, quæ saluberrimus potus est, intelligi posse.

CONCLVSIO.

PLura quidem potui, sed me ceu littore abactum
Longius, immensi terruit unda freti.
Hæc quoq; quàm metuo, ne me iuueniliter ausum
Plus nimio uiuis inuida fama ferat.
Sed tibi Sturtiadum clarißima fama Georgi,
Omnis parendum conditione fuit.
Nam quia iusta tuo poteras mandare poëtæ,
Te duce, quæ poterat pondera ferre, tulit.

DE NATVRA ET VIRIBVS CEREVISIARVM ET Mulsarum.

GEORGII AEMILII Elegia.

CVm natura homini dederit potumq; cibumq;,
Hic ut corpus alat, membra sed ille riget:
Non postrema quidem est ad uitam cura salubrem,
Noscere cùm sitias, qualia pocla bibas.
Nanq; dapes ualidam gignunt in corpore carnem,
Humores potus fluxilitate facit.
Et nisi susciperet commixtos esca liquores
Arida, nec membris distribuenda foret.
Siccus enim per se cibus est humoris & expers
Plurimus, est illi quoq; uehatur opus.
Vt nequit in lento procedere flumine nauis,
Fluxilibus porrò ni moueatur aquis:
Sic etiam siccam descendere nescit in aluum,
Et reliquas partes absq; liquore cibus.
Ille grauem lenit commixto humore suburram,
Mollius ut pergat, subsideatq; facit.
Temperat & siccam liquido moderamine massam,
Riuulus ut lymphis arida prata fouet.
Hoc sine defecto subsideret esca palato.
Nec sibi consuetum pergere posset iter.

Ventri-

Ventriculo quamuis acceptaq́; massa fuisset,
Hic tamen immoto pondere staret iners.
Intestina siti siccata, calore perirent,
Nec foret arentis corporis ulla salus.
Hanc igitur nemo doctrinam spernere debet,
Quæ nos poclorum de ratione docet.
Expediens quæ sit uis & natura liquorum,
Quos patriæ tellus ad sua pocla parat:
Namq; alios potus per se natura ministrat,
Ast alios hominum sedula cura facit.
Cumq́; habeant ambo magnum discrimen utrinq;,
Non leuis utilitas ista docere fuit.
Simplicibus quantum distent composta, quid inter
Natiuum ueniat, facticiumq́; simul.
Hoc opus, hic labor est, cura docuisse fideli,
Hæc hominum uitam, res iuuat, auget, alit.
Ergo operam sumpsit non parua laude uehendam
Placotomus, quando talia scripta dedit.
Consuluitq́; tuis studijs, quæ tecta iuuentus,
Regiomontanæ conspicis alta scholæ.
Quinetiam totam uoluit prodesse per oram,
Saxona quam lato limite terra patet.
Illius exponens diuersæ pocula formæ,
Qualeq́; discrimen, quando bibantur, habent.
Quare hunc commendo Lector studiose libellum,
Quisquis es, ostensa iam ratione tibi.
Quamlibet ad Rhenum Bacchi inter munera uiua,
Grata tamen patriæ pocula laudo meæ.

Carmine sed laudes ne plus minuantur inepto,
Desino, tu scriptum iam licet ipse legas.

AMPLISSIMIS ET PRVDENTISSIMIS *uiris,* Consulibus *&* Senatoribus Regiæ *urbis* Dantiscanæ, Ioannes Placotomus, Regiomontanæ Academiæ Professor, S. D.

CVM aliquandiu in hac regione uersatus essem, uariasq; & planè diuersas sententias de Cereuisijs audiuissem, operæprecium & multis gratum me facturum non dubitaui, si peculiare aliquod scriptum de hoc potu ederem. Vtile enim est quemq; scire facultates eius rei, qua aßiduè fruitur, ne brutorum more omnia sine iudicio promiscuè ingerat. Prædicant aliæ regiones sua dona, neq; immeritò, cur non & nos nostra commendemus, cùm ea ab exteris quibusdam iniustè uituperari, & tanquam parum utilia reijci non ignoremus? Quasi ars non posit æquè salutaria humano generi excogitare, atque natura in quibusdam terris sponte producit. Quin imò ars est æmula naturæ solertißima, quæ omnia eius opera, quantum quidem fieri potest, imitatione assequi & exprimere conatur, idq; non tam in Cereuisijs quàm Medonibus quibusdam, qui proximè ad uini naturam aspectu & uiribus accedunt, clarißimè cernitur. Et quoniam utriusque potus creberrimus in his terris usus est, non alienum duxi, utriusque descriptionem coniungere, atque uno

opusculo

opuſculo complecti. Quod ubi abſoluiſſem, ſubijt alia maior cura, quàm ipſe ſcribendi labor, cui uidelicet meas lucubrationes dedicarem, quorum patrocinio me committerem. Eſt enim hoc tempore ualde periculoſum, aliquid in publicum emittere, propter maleuolos quoſdam, qui tantùm aliorum famæ inſidiantur, aliorum conatus malè narrando ac interpretando extenuant, & calumniantur, non illorum infirmitati parcent, non excuſant, ſi quid fortè incommodius ſcriptum eſt, non Autoris animum aut conſilium expendunt, ſed alienis erratis obſeruandis, publicandis, proclamandisq́; ſibi perpetuum nomen, & immortalitatem comparare ſtudent. Hæc cogitanti mihi occurrit prudentiſſimus Senatus Dantiſcanus, cuius iudicium & autoritatem, non ſolùm in his partibus, ſed ubique terrarum plurimum ponderis habituram, omnino mihi perſuadebam. Nam & doctos uiros, & peritia rerum ciuilium præſtantes habet, quorum quidam etſi in literis uerſati non ſunt, hæc tamen noſtra ſtudia non faſtidiunt, non aſpernantur, ſed plurimi faciunt, quod liberi ipſorum, quos ad literas diſcendas, magnis impenſis, tum hîc, tum in alijs Academijs adhibuerunt, teſtantur.

Quapropter Conſules prudentiſſimi, ac Senatores uigilantiſſimi, meam qualemcunque operam, & ſtudiorum meorum primitias, uobis offero & dedico, magnopereque à uobis omnibus

peto, ut hoc exiguum munusculum, atq; xeniolum, pro uestra æquanimitate, non inuitis manibus accipiatis, boni consulatis, meiq; patrocinium, si necessitas postulabit, in re honesta, & ad publicam hominum salutem spectante, suscipiatis. Quod si feceritis, ego uicissim uobis, ut decet, omnia quæ grata esse perspexero, præstabo, & si uita longior, ualetudoq; firmior contigerit, progressu temporis, Christo fauente, plura dabo. Idem & alij Collegæ mei, qui tum ingenio, tum doctrina, & usu rerum me antecellunt, ubi intellexerint bonis uiris, & præcipuè uicinis nostris, nostra studia non improbari, haud dubiè facient. Christus conseruet uos omnes incolumes, Viri prudentissimi, ad nominis sui gloriam, & Reipublicæ uestræ, aliorumq; mortalium utilitatem. Valete. In Academia Regiomontana, Calendis Februarij Anni 1549.

AD LECTOREM.

Non me latet, quantum periculi subeant, qui se publicæ censuræ hoc tempore edendis scriptis exponunt. Nam si quid ab alijs prius dictum retexunt, alienam cantilenam recantare dicuntur: quod si non feliciter præstant, deridentur. Qui Commentaria scribunt, in eodem discrimine uersantur. Si enim ubiq; Autoris sententiam non assequuntur, aut alicubi scientes dissentiunt, malè audiunt. Multò magis hi in periculo sunt, qui noua edunt, & ab

alijs

alijs prius non tractata, maximè si à uulgari opinione recedant, quemadmodum nos de temperamento Cereuisiæ facimus. Ego itaq; diu deliberaui mecum, & dubitaui, nunquid meam sententiã publicare uellem, tandem pubicæ utilitatis spes me ad editionem hortabatur. Quòd autem hic labor ad publicam salutem pertineat, non in obscuro est. Cereuisiæ enim usus non hîc tantùm, sed etiam in bona Germaniæ parte, maximus & frequentißimus est. Sunt qui magis hoc potu quàm cibo uiuunt, siquidem egregiè nutrit, ideoq; parcius comedunt, eo multum utentes. Vtuntur hoc promiscuè omnes ætates & sexus, sani & ægri. Necessarium igitur est de temperamentis & uiribus aliquid extare, ne qui illo malè utantur. Nemo autem hactenus, quod sciam, hanc prouinciam susce pit, & solidi aliquid de Cereuisijs scripsit. Expectaui aliquandiu aliorum sententias, id quod multi docti uiri, qui olim commilitones fuerunt, cum quibus priuatim de hoc themate aliquando contuli, testabuntur, uerùm cùm frustra expectarem, ut diutius saluberrimi potus facultates laterent, committere nolui. Verùm non ignoro me nec ingenio, nec dicendi facultate, nec explicandi dexteritate, tantum ualere quantum hoc argumentum requirit. Scio quàm sit difficile noua, atq; ab alijs non tradita commentari. Nec me fugit illud Horatij: Sumite materiam uestris qui scribitis æquam Viribus. Diu etiam quid ferre ualerent humeri, quid non, perpendi. Sed animum

addidit alter poëta, qui scribit: Vt desint uires, tamen est laudanda uoluntas. Merentur enim studium, & conatus, in honestis rebus suam laudem, etiamsi non ab omni parte scopum attigerint, maximè in noua materia, & in eo homine, qui primum periculum uirium suarum facit. Quod cùm ita sit, Lector candide, ueniam mihi dabis spero, sicubi tibi non satisfecero, aut à scopo adhuc parum abesse uidear. Et magnoperè peto, atq; propter publicam utilitatem obtestor, si quid emendatione egere putabis, me amicè moneas, si quid habes, in commune conferas. Decet enim bonos & literatos uiros, aliorum studia, & ad publicam utilitatem pertinentia, prouehere, atq; promouere, non impedire, multò minus calumniari. Me non pudebit, ab alijs admonitum, uel addere, uel detrahere, uel mutare aliquid, si bonas rationes habuero.

Vale.

PRIMA

PRIMA PARS.

DE CEREVISIA.

CEreuisias à Cerere dictas esse, haud dubium est, ex frumento enim, cui Ceres præesse à Poëtis dicitur, coquuntur. Est enim Cereuisia nihil aliud, quàm potus ex aqua, frumento præparato, & lupulis coctus.

Multæ autem sunt Cereuisiarum differentiæ, sed præcipua ac principalis, & quæ maximum usum habet, à materia sumitur. Nam aliæ ex tritico, aliæ ex hordeo, aliæ ex utroq;, aliæ ex alijs frumentis, uel etiam leguminibus parantur, de quibus in præsentia nihil dicam. Quæ ex tritico fiunt, triticeæ uel albæ, quæ ex hordeo, hordeaceæ: in Polonia et Prußia nigræ, in alijs quibusdam locis rubræ Cereuisiæ adpellantur. Quæ uerò ex ambobus æquali, siue inæquali portione mixtis confiunt, adpellatione peculiari carent, sed tamen mixtæ siue mediæ iure uocantur.

Denominantur autem non à materia solùm, sed etiam ab inuentoribus, à loco, ab effectu, aut accidente aliquo, quæ parum ad præsens institutum faciunt. Nam in hoc opusculo primùm de natura & uiribus Cereuisiarum in genere disserere statui. Deinde per quædam illustria exempla priora declarabo. Tertiò adijciam ea, quæ ex Cereuisijs parantur. Postremò conditarum Cereuisiarum uires enarrabo.

Quia

Quia uerò facultates rerum cognoscuntur, aut à priori, aut à posteriori, ego utroq; modo meam sententiam probabo, & Cereuisias calidas esse (nam de hac re præcipuè controuersia est) cõfirmabo. Quod ut expeditius fiat, primùm materias illarum seorsim describam, unde facilè colligi poterit, quod temperamentum sit Cereuisiarum, quis usus.

MATERIAE CEREVISIARUM.

De Aqua.

Potissima materia Cereuisiarum est aqua, non medicamentosa, idest, insigni aliqua qualitate prædita, sed potabilis, hæc est humida, & in primo gradu, quòd est parum frigida, & recipit in se qualitates aliarum rerum, quæ ipsi admiscentur, aut cum quibus coquitur. Nam cum frigidis cocta, frigidior fit, cum calidis contrariam qualitatem induit, & naturam amittit.

Species aquarum numerantur, fontanæ, puteales, fluuiales, lacustres, et pluuiales, quæ etsi nonnihil differunt, sunt tamen ad potum coquendum omnes idoneæ, sed alia magis alia. Coquuntur etiam in quibusdam locis maritimis cereuisiæ, ob dulcis aquæ defectũ ex subsalsis aquis, quæ non frigidam & humidã, sed contrarias qualitates obtinent. Similiter & aquæ quædam metalla resipiunt, uel quia iuxta fodinas scaturiunt, uel quia ex fodinis aliquid recipiunt, hæ sin-

cerioribus

cerioribus aquis sunt deteriores, & ad bonam cereuisiam efficiendam minus aptæ. Est ubi ex aqua quæ calcem refert, hic potus coquitur, sed non sine uentriculi noxa hauritur.

De Hordeo.

Hordeum crudum facultatem refrigerandi, & exiccandi, in primo ordine habet, & moderatè abstergit. Amittit autem has uires dum maceratur, abluitur, paululum putrefieri permittitur, exiccatur, atq; torretur. Nam macerando abstersoria facultas remißior fit. Quòd autem putrefactione etiam res frigidæ caliditatem aliquam acquirant, ex caseis patet, qui recentes frigidi sunt, & putrescendo calidi efficiuntur, adeò ut etiam linguam urant, quãdo ualde putridi sunt. Etsi autem hordeum non putrescit, sed tantùm incipit putrefieri, propter humiditatem alienam & prohibitam euentationem, quando uidelicet in aceruos exiccandi gratia congeritur, & ne omnino putrescat, crebrò uersatur. Deinde tostio, siue torrefactio auget calorem, & empyreuma quoddam hordeo addit. Nam est quasi quædam assatio, & leuis adustio.

Quod autem ex Galeno obijcitur, hordeum nulla apparandi ratione calefieri, id non intelligo de putrefactione atq; tostione, sed de coctione, siue in panem fingere, siue ptisanam coquere, siue polentam instituere libeat. Nam ipse Galenus zythum hordeo

non

non parum acriorem esse, ex putredine nimirum acrimonia contracta, docet. Si acrior, ergo & calidior, quod idem autor eodem loco his uerbis ostendit: Cũ partim acris est, & calidus &c. Si enim siccitatem amittere potest ptisanæ modo incoctum, quid in alteram qualitatem deponet? Adde quòd hordeum usitato modo præparatum, in ore mansum, saliuam moueat, quod non nisi caloris opus est.

De Tritico.

Triticum est calidum in primo gradu, & temperatum in paßiuis qualitatibus, glutinosum, & obstructionem pariens. Cùm autem per se sit calidum, redditur calidius, cùm hordei modo torretur, præparaturq́; alieno nimirum calore insuper assumpto.

Sumendum autem frumentum optimum, maturum, solidum, non friabile, in bono solo prognatum, magnum in suo genere, non aliena humiditate tumidum, collectum sereno cœlo, loco apto exiccatum & repositum.

De Lupulo.

Lupuli, quem uulgo quidam Humulum uocant, flores sunt calidi & sicci in secundo gradu, uel etiam ulterius, habent uim incidendi, aperiendi, abstergendi propter acrimoniam, & amaritudinem, mundificant sanguinem, atq; euacuant humores tenues biliososq́;.

tiosósq;, & prohibent ne citò liquores, quibus admiſcentur, putreſiant, aut corrumpantur, & eundem planè uſum potui præſtant, quem ſal eſcis alijsq; rebus, quas in longius tempus aſſeruare expedit. In quibuſdam locis loco lupuli additur Chamepeuce, unde Cereuiſiæ efficiuntur adeò ualidæ & halituoſæ, ut parum abſit, quin bibentes paulò immoderatius ad inſaniam redigantur.

Hæ ſunt materiæ Cereuiſiarum, quæ aliter atque aliter in alijs locis parantur, uariè & inæqualiter miſcentur. Alij enim multum lupuli accipiunt, alij parum, quidam plurimum frumenti, quidam exiguum. Semper tamen plus aquæ quàm reliquarum materiarum, & plus hordei quàm lupuli ſumitur.

Hoc autem modo Cereuiſia uſitatè fit: Frumentum maceratum, reſiccatum, toſtum, & mola confractum, atq; in farinam craſſiorem redactum, primùm ſeorſim cum aqua coquitur, certo temporis ſpacio, uel aqua feruida irrigatur, deinde colatur, colatura floribus lupuli iniectis coquitur, donec amaritudo ipſius nonnihil deponatur. Decocto hoc iterum colato ac tepefacto adduntur Cereuiſiæ feces, ut ferueat: quod ubi factum eſt, in dolia cõditur. Neq; uerò dubium eſt, quin ex hac etiam coquendi feruendiq; ratione aliquid caloris, ſiue empyreuma quoddam concipiat.

Ex his omnibus colligi probabiliter poteſt, cum

plus

plus calidæ & siccæ materiæ, quàm frigidæ & humidæ ad Cereuisias sumatur, Cereuisias calidas & siccas esse, non frigidas, ut uulgus existimat. Nam etsi de hordeacea, si quis tantùm materiam spectet, dubitari potest, tamen triticeam calidam esse, contra omnium ferè sententiam, sine ulla controuersia affirmo. Si autem hordeo accedit caliditas ex præparatione, multò magis tritico, per se calido, ut dixi.

Hæc est una probatio à priori, hoc est, à causis sumpta. Nunc si quis huic parum fidei habet, & rationes dictas non omnino firmas esse contendit, ad alteram accedam, & idem ab effectibus probabo, cui nemo non opinor suum calculum adijciet, cùm in sensus incurrat, & cuiq; contingat. Videmus corpora bibentium sensibiliter calefieri, ubi paulò largius cereuisiam, siue albam, siue nigram hauserint, id quod & externæ notæ faciei produnt. Nam & caput non solùm bibentibus, sed tangentibus quoq; calidius sentitur, & rubicundum, quod caloris signum est, aspicientibus adparet. Id fit quoniam calor calidis excitatur, augetur, & in corpus diffunditur, & maximè in caput sua leuitate rapitur. Idem non accidit aquam simplicem uel hordeaceam bibentibus, utraq; enim refrigerandi uim habet. Deinde quia euaporat in caput, & ebrios potantes efficit. Nihil autem quod inebriat, frigidum est. Calida tantùm caput petunt, calida tantùm ebrietatem efficiunt. Ex his ergo omnibus haud obscurè sequitur, Cereuisias esse per se, &

sua natura calidas, nec refrigerare, nisi ex accidente posse. Cæterùm caliditatem augent præter enumerata quædam extrinsecus accidentia, ut pix uasorũ, de qua postea.

Quòd autem obijci potest, Cereuisias sedare sitim, ideoq; refrigerandi & humectandi facultatem habere, cùm sitis ex uentriculi orificij ariditate oriatur, Respondeo uinum quoq; remedium sitis esse, nec tamen humectare, quanquàm utrunq; actu refrigerare & humectare non negamus. Item, Cereuisia conceditur febricitantibus, non igitur calida est. Calida enim augent morbum. Respondeo, non omnes Cereuisias concessas esse in febribus, sed tantùm tenuiores, quæ reliquis minus calefaciunt, pleniores uerò, ut Dantiscana & Hamburgensis, in hoc morbo cauere oportet. Quòd si quis morbos frigidos à Cereuisiæ potu oriri causetur, respondeo, frigidos morbos ex accidente fieri, cùm uidelicet modus bibendo exceditur. Immoderatus nanq; potus qualiscunq; fuerit, calorem naturalem obtundit, ut copia lignorum uiridium ignem extinguit, unde postea cruditas frigidiq; morbi omnis generis proueniunt. Quòd autem Cereuisiæ somnum conciliant, fit propter copiam uaporum, in corporibus præcipuè humidis, & hoc commune cum uino habet. Quidam tali argumento utuntur:

Omnia flatuosa sunt frigida.
Omnis Cereuisia est flatuosa:
Ergo omnis Cereuisia est frigida.

Cùm nec cuncta flatuosa frigida sint. Nam nec allium, nec cepæ, nec eruca, nec mel crudum, nec uinum dulce frigidum est, etiamsi inflent. Ex Cereuisijs uerò solùm recentes, turbidæ, aut feculentæ flatus gignunt, reliquæ nequaquàm. Non igitur ualet argumentum.

Qualis sit potus Cereuisia.

Hactenus de temperamento Cereuisiarum diximus, & calidas siccasq; eas esse ostendimus, nunc qualis sit potus adiungemus. Neque enim simplex potus est, sed medicamentosus. Nam & alterat corpora, quod medicamentorum proprium est, & substantiam auget, inq; sanguinem conuertitur, quapropter nutrimentum est. Sunt tamen gradus horum effectuum. Nam aliæ multum, aliæ parum, aliæ mediocriter, uel alterant, uel nutriunt, ut in sequentibus clarius ostendemus. Nutriunt autem omnes probatæ Cereuisiæ, & sunt boni succi, uires roburq; corporibus addunt, quemadmodum in partibus Septentrionalibus (ubi tantùm eiusmodi potu incolæ fruuntur, hominesq; formosißimi pariter, ac robustißimi inueniuntur) uidere est.

Vnde Cereuisiæ nutriendi uim habeant.

Principiò constat aquam non nutrire. Idem de lupulo quoq; statuendum est, qui non modò non alit, uerumetiam ualde alterat corpora. Nutriendi igitur facultas omnis à frumento proficiscitur, quod non solùm

tum qualitates suas in aquam transmittit, uerumetiã substantiam aquæ impartit, cum qua ita unitur, ut nõ amplius separari queat, cuius rei euidens nota est, quòd frumenta atq; lupuli non solùm qualitates suas amittunt (nam insipida propemodum ambo redduntur) sed etiam aliquid substantiæ, nam aqua crassiorem substantiam acquirit. Vis ergo nutriendi in Cereuisijs, non aquæ, non lupulo, sed frumento asscribãtur oportet. Hinc sequitur Cereuisias cuiuscunq; generis fuerint, crassas, quia plurimum frumenti habẽt, uberius nutrimentum præbere, tenues ob exiguitatem materiæ, exiguum, & quò crassiores siue tenuiores, eò magis minúsue nutrire.

Collatio ueterum & nostræ Cereuisiæ.

Veteres potum ex hordeo factum, Zythum, Curmi, uel Phucas uocant, ac mali succi esse una uoce omnes tradunt, neruis ac cerebro inimicũ, flatuosum, idq; uerum est de ipsorum Zytho. Nam ex sola aqua & hordeo crudo parabatur, non addebant lupulum, quamobrem etiã durare non potuit, sed citò acorem contraxit, unde neruosa læduntur: uerùm nostra Cereuisia durare, & ad uetustatẽ peruenire potest. Nõ igitur ex ueterum libris de hac iudiciũ fieri oportet.

Verùm hoc loco Eobani uersus opponi possunt, autoris satis recentis, quem de nostra, non aliena, aut ueterũ, cuius usus hoc tempore ignoratur, Cereuisia scripsisse, uerisimile est. Cuius hæc sunt uerba:

Qui docuit crasso Cererem confundere succo,
Huic iratus erat Bacchus & ipsa Ceres.
Nam Pelusiaci qui laudat pocula Zythi,
Illi nec cerebrum, nec caput esse puto.
Renibus & neruis cerebroq; hic noxius humor,
Sæpe etiam lepræ semina fœda iacit.

Respondeo. Locum illum ad uerbum ferè ex Dioscoride esse translatum. Quod facilè adparebit legenti. Ita enim scribit lib. 2. cap. 79. Zythus ex hordeo paratur, mouet urinam, renes & neruos lædit, & præcipuè cerebri membranis noxius, gignit flatus, mali succi est, & elephantiasin facit &c. Et paulò pòst: Quod Curmi uocatur, & ex eodem hordeo fit, & pro uini potu sæpe usurpatur, capitis dolores, & malos corporis succos facit, neruisq; nocet. Cōficiuntur & ex triticea fruge huiusmodi pocula, ut in occidentali Hiberia & Britannia. De Zytho idem Galenus quod Dioscorides sentit, qui libro 6. de simp. med. fac. ita scribit: Zythus acrior est non parum hordeo, & succi praui, utpotè qui ex putredine prouenıat, est & flatuosus, tum partim acris est & calidus, parte uerò plurima frigidus, aqueus, acidus. Eadem Aeginetæ, & Aëtij, adeoq; ueterum Græcorum omnium sententia est, ex quibus Simeon Sethi, Magister Antiochiæ postremus in hunc modum scribit: Phucas (sic enim Zythum appellat) simplex quidem præparatus frigidus est, compositus uerò siccus est & calidus: ac quidem antiqui omnes existimant,

stimant mali esse succi, & neruis noxium capitisq; dolorem efficere. Vtilis uerò est aduersus sacrũ morbum, & ex uino conceptam crapulam sanguinisq; acuitatem sedat. Sed enim satius est unius usu abstinere, quòd facilè corrumpitur, qui ex eo fit succus, & neruis nocumentum adfert. Ferunt etiam, quòd ebur in eo ad tempus immersum, maceratur mollescitq;, ut cera. Recentiorum autem quidam, priscorum rationes redarguunt, aiuntq; hunc in multis esse utilem, incolumitatemq; ac sanitatem efficere. Et reuera quidem prodest ijs, qui calidiore sunt temperamento, & inprimis uentriculo. Qui uerò per excessum calidi sunt, quiq; æstuosa afficiuntur siti, & magis quando duplex est, hoc est, compositus. Sedat enim sitim, & appetentiam suscitat, & uentrem cit, est & quando lotium. Iis autem qui stomacho udo sunt, & qui temperaturas frigidiores habent, ualde nocet.

Collatio albæ & nigræ Cereuisiæ.

Quod ad temperaturas & usum pertinet, in genere omnes Cereuisiæ conueniunt, differunt deinde gradibus, & quælibet species aliquid peculiare habet. Albæ nigris magis, si cætera paria sunt, id est, si æquam frumenti portionem habuerint, nutriunt, idq; ratione materiæ. Nutriendo enim triticum uincit hordeum. Huius rei non infirmum indicium est, quòd co

piosius lac nutricibus albæ suppeditant. Magis etiã uidentur ob eandem causam calefacere, sed facilè non tam craßitudine, quàm dulcedine obstructiones uiscerum, & angustiam pectoris difficultatemq; spirandi pariunt.

Collatio simplicis & mixtæ Cereuisiæ.

Quæstio hîc mouetur, utrum simplex, uel mixta Cereuisia salubrior sit? Sed hæc quæstio parum utilis esse uidetur. Non enim miscentur frumenta, sicut uinum & aqua, sed sicut diuersæ uuæ, ex quibus unũ uinum efficitur.

Collatio Vini & Cereuisiæ.

Præter alia innumera dona, quibus Deus Septentrionali plagæ prospexit, & multa quæ desunt, & in alijs tantùm regionibus proueniunt, uberrimè cõpensauit, non minimum est Cereuisia. Quid enim ea sublata bibituri essent homines? quid facerent, quibus nec uinum conuenit, nec contingere per inopiam potest, & quorum natura aquam respuit? Itaq; clementißimus pater, pro sua inenarrabili bonitate, & erga humanũ genus beneuolentia, ne quid ad uitam sustentandam deesset, pro uino hunc potum saluberrimum monstrauit, qui omnibus temporibus, & ubiq; locorum parari potest, nec solùm, ut

nina, ab autumni temperatura pendet, nec tantùm ubi calidior cœli facies est nascitur. Hinc meritò uinum Germanicum, uel potius Septentrionale ab omnibus appellandum esset.

Cæterùm differt à uino multis modis: uina citius nutriunt, Cereuisiæ maximeq; triticeæ magis. Bibentes enim Cereuisiam minus comedunt, quod non fieret nisi copiosum alimentum suppeditaret. Adde quòd in his terris craßiora, & etiam robustiora corpora reperiantur, quàm ubi uinum tantùm in usu est. Nec dubium est, quin hic potus naturæ sit gratißimus & accommodatißimus, cùm aßiduè frumentis, ex quibus paratur, alijsq; rebus ex eadem materia confectis, in cibo utamur. Natura enim, ut in alijs omnibus, ita in alimentis quoque assuetis maximè gaudet, ut Hippocrates autor est. Neq; etiam à puerili ætate uinorum more alienus est, sed tum ipsis moderatè eum exhibere, tum nutricibus assumere tutò licet. Postremò non lædit neruos neruosaq; membra, etiamsi ieiuno stomacho bibatur aliquādo, ideò nec articulorum dolores, nec podagræ, nec chiragræ, nec conuulsiones, nec distentiones, tam frequentes, quàm ubi uinum tantùm bibitur, apud nos conspiciuntur. Verùm hæc mala fortasse non uino, sed abusui, uidelicet quando intempestiuè, aut immodicè hauritur, attribuenda erunt. Quanquàm autem etiam in Cereuisijs immodicus usus sua detrimenta adfert, sunt tamen minora illis, nec ita uiolenta.

Aliæ Cereuisiarum differentiæ.

Differunt præterea coctione, consistentia, colore, odore, sapore, ætate, & ratione uasorum, in quibus continentur, de quibus omnibus ordine breuiter agam.

De Coctione.

Quædam ritè & perfectè coquuntur, quædam uerò malè, uel ob lignorum inopiam, uel propter artificum incuriam. Vocantur igitur hæ crudæ, præcipuè quando lupulus non probè coctus est, quæ stomachum offendunt, cruditatem pariunt, renibus & uesicæ officiunt, stranguriam, similiaq; uesicæ mala creant. Similiter quando non probè deferbuerunt, uel propter frigus ambientis aëris intensum, uel cùm serò feces admiscentur, aut quando non ad satietatem usq; deferbuerunt, sed ante iustum tempus in dolia diffunduntur. Hæ Cereuisiæ raró exactam claritatem sortiuntur.

De Consistentia.

Quare aliæ alijs craßiores sint, suprà causas exposuimus, nunc hoc adijciendum, craßiores tenuioribus tardius concoqui, atq; in corpus uniuersum distribui, magis tamen nutrire. Tenuiores uerò contrà citò alterantur, in partes corporis celeriter rapiuntur, mouent urinam, & parum alunt. Mediocres omnia faciunt mediocriter.

Vtrum recens aut uetustior Cereuisia sit crassior.

Recens Cereuisia per accidens crassa est, uel potius turbida, uidelicet nondum depurata, & à fecibus purgata. Purificata uerò tenuior est uetusta. Nam plurimum adhuc aquositatis, quæ tempore absumitur, habet. Quamobrem substantiam ipsam crassiorem fieri necesse est.

De Colore.

Tinguntur Cereuisiæ & frumento & lupulo (aqua siquidem perspicua & alba est, omnisq; coloris expers) & quò hordeum magis tostum, & lupulus maturior est, item quò diutius coquitur, utrunq; eò Cereuisia tum tinctior, tum calidior redditur. Hinc ex colore de temperaturæ gradu colligi potest, uidelicet calidiorem esse quæ tinctior, frigidiorem quæ remißioris coloris est.

De Odore.

Omnes Cereuisiæ communem quendam odorem, sicut & saporem, habent, per quæ à reliquis liquoribus discernuntur. Præter hunc communem etiam quædam peculiares sibi qualitates, quibus à reliquis facilè dinoscuntur, poßidet. Sunt quæ aromaticum odorem saporemq; præ se ferunt, quemadmodum selectæ Torgenses, qui utrum ex lupulis, uel coquendi ratione proueniant, mihi non constat. Hæ præterquàm quòd nutriunt & alterant, etiam confortant cor & cerebrum.

De ſapore.

Saporum maior diuerſitas eſt. Præter enim communem omnibus Cereuiſijs, aliæ dulces ſunt, aliæ ſub amaræ, aliæ ſubacres, aliæ uinoſum ſaporē habent, quemadmodum quædam ex albis, maximè cùm mediam ætatem excedunt, ſicut Goslarienſis, et albæ Polonicæ. Reperiuntur & ſubſalſæ, quæ uehementiùs reliquis exiccant, & ſitim magis incendunt, quàm ſedant.

Verùm hi ſunt natiui ſapores, alieni à negligenti præparatione, uaſe & ætate contrahuntur. Siquidem quædam Cereuiſiæ aduſtionem reſipiunt, propter ignem immodicum, & agitationem intermiſſam. Quædam fumum aut fuliginem & olent & ſapiunt, uidelicet quæ ſtraminibus, ſtipulis, ramentis lignorum, aut uiridibus nimium lignis, ſiue reſinoſis coquuntur, quod in quibuſdam Thuringiæ locis penuria lignorum accidit. Contrahunt aliquando Cereuiſiæ alienam & ingratam dulcedinem, quando nimis tardè incipiunt feruere, ut ſuprà dixi.

De ætatibus.

Quemadmodum in plantis, animalibus, alijsq́; rebus omnibus, ita quoq; in potu temperamentum uariat, iuxta ætatis curſum, ſed contraria ratione. Quò enim Cereuiſiæ uetuſtiores, eò calidiores, quò recentiores, eò minus calefaciunt. Fiunt enim progreſſu temporis calidiores, conſumpta tenuiore & aquo-

aquosiore parte. Vocatur autem decoctum frumenti & lupuli docendi gratia, antequam feruere incipit lixiuium Cereuisiæ. Hoc à quibusdam hominibus, mulieribus præsertim, magis irritante gula, & corrupto adpetitu stimulante, quàm necessitate postulante, hauritur. Turbat uentrem, inflationes & tormina mouet, non bene concoquitur, nec in corpus bene digeritur, gignit obstructiones, hypochondria distendit, urinam remoratur. Recentes Cereuisiæ, nempe quæ adhuc feruent, aut uix deferbuerunt, eadem mala, sed minora tamen creant. Vetustæ cùm accscere incipiunt, uentriculum, renes, uterum, neruos, & reliqua neruosa membra offendunt, urinam cient. Acescunt Cereuisiæ non tantùm uetustate, sed etiam lupuli paucitate, & coctionis imperfectione.

Causæ durabilitatis Cereuisiarum.

Hoc loco non alienum uidetur, causas durabilitatis, cùm aliæ celeriter corrumpantur, aliæ uerò diu integræ maneant, ac multam uetustatem ferant, referre. Prima itaq; ac præcipua causa est quantitas lupuli, cuius munus est, ut suprà diximus, integrè conseruare uires. Quæ igitur multum lupulorum recipiunt, diu incorruptæ manent. Quoniam uerò quæ diutius coquuntur, diutius etiam seruantur, ut experientia testatur, alteram durationis causam meritò coctioni acceptum ferre decet.

Ideò accidit. Nam humiditas quæ alterationi exposita, & corruptioni aptißima materia eſt, coquendo abſumitur. Facit ad durabilitatem non parum quoque uaſorum diſpoſitio. In picatis ſiquidem non æquè facilè uitiatur, atque in alijs.

De loco quid attinet dicere, cùm omnibus perſpectum ſit, alium locum alio ad conſeruandas Cereuiſias, aliasq; potiones, magis eſſe oportunum. Postremò in hac re haud quaquam poſtremum ſibi locum aëris temperatura uendicat. Nam aër circundans calidior iuſto, corrumpit Cereuiſias, & præcipuè in acetum tranſmutat. Reſoluit enim natiuum calorem, quo res omnes reguntur, fouentur, atq; conſeruantur. Hoc reſoluto paulatim potus aceſcunt, & tandem omnino in acetum conuertuntur. Plurimum quoque momenti ad conſeruandas Cereuiſias crebra inſpectio habet, quæ cauſa œconomica potius, quàm philoſophica eſt, ideoq; in præſentia obiter tantùm attingenda.

De uaſis.

Reſtat ut de uaſis adhuc aliquid adijciamus, hæc uariant pro lignorum diuerſitate, & quia aliquando ſimplicia Cereuiſiam recipiunt, aliquando pice intrinſecus oblita. Picatæ igitur Cereuiſiæ, ut diximus, diutius quidem durant, ſed caput facilè tentant, maximè quibus id calidum & infirmum eſt.

De uitioſis Cereuiſijs.

Etſi hactenus de uitioſis Cereuiſijs, inter reliqua

obiter

obiter aliquid dictum est, tamen nunc certũ aliquem locum eis tribuam. Contrahitur igitur primum uitium à materia. Nam ex mala materia nunquam bonus potus ulla arte parari potest, nec uitia natiua emendationem confectione recipiunt. Illud non rarò accidere potest, ut res optimæ mala præparatione et negligentia artificum corrumpantur. Hoc modo ex bono frumento & probatißimo lupulo, uel crudæ Cereuisiæ, uel adustionem resipientes proueniunt. Vt maximè autem nec hîc, neq; ibi quidquam neglectum sit, sed omnia diligenter expedita sint, ne uel uasis non probè elotis aut expurgatis, alienum saporem concipiant, néue quando non rectè obturantur, exolescant, cautio est. De acidis dictum est.

DE ACCIDENTIBVS ET SVperfluitatibus Cereuisiæ.

De Spuma.

DVplex est spuma Cereuisiarum. Alia à causa interna oritur, uidelicet quando feruet Cereuisia. Altera fit ab externa causa, ex fusione, aut motione. Illa est tanquam flos Cereuisiæ, rara, crispa, feculenta, in summo natans, & postquam Cereuisia deferbuit, densatur, & paulatim subsidit adq; fundum descendit. Quæ ex fusione aut agitatione fit ab illa diuersa, spuma est, quæ tandem euanescit. Spumæ uerò consideratio nonnihil ad iudicandum de Cereuisiarum bonitate facit: uariat enim. Hordeacearum rarior

rior ac copiosior est, triticearum uerò pauca, densior, & lactea quodammodo, uix superficiem tegens, quemadmodum in Hamburgensi. Durabilis spuma in suo genere bonitatis nota est.

De Fecibus.

Feces igitur sunt crassum & terrestre Cereuisiæ sedimentum, quæ propter grauitatem imum dolij locum occupant. Habent facultatem calidam & siccam, flatuosam, quarum uarius usus est.

De deuteria, secundaria Cereuisia, siue lora Cereuisiæ.

Ex reliquijs hordei & lupuli affusa cocta aqua & colata fit lora, quæ uiribus & temperamento longißimè à Cereuisia, ad aquæ naturam recedit. Quare nec nutrit, nec calefacit admodum, sed aquæ ritu contrarium efficit.

De medijs Cereuisijs.

Præter hanc sunt quædam mediæ Cereuisiæ, uarijs adpellationibus in Germanica lingua distinctæ. De quibus unam regulam tenere satis est, nempe quò longius à prima discedunt, eò esse infirmiores, & quò propiores Cereuisiæ, eò pleniores & efficaciores, siue, quò plus secundariæ recipiunt, eò debiliores, quò plus primariæ, eò ualidiores. Fiunt enim ex mixtura amborum.

De præcipuis Cereuisijs, Exempla.

Hactenus in genere de Cereuisijs diximus, & eas calefaciendi siccandiq; uires habere ostendimus, hinc

facile est iudicium facere de reliquis generibus Cereuisiarum, siue ex alijs frumentis, siue ex leguminibus effingantur. Nunc ut melius superiora intelligantur, & quæ adhuc explicanda restant adijciantur, præcipuarum quarundam mentionem facere, & à Dantiscana, quam primas inter omnes tenere, & quasi Reginam Cereuisiarum esse non dubitamus, initium facere uisum est.

De Cereuisijs Prussiæ.

Etsi Prußia multa genera optimarum Cereuisiarum habet, Dantiscana tamen omnes longè post se relinquit, & quamlibet etiam Germaniæ Cereuisiam uiribus superat, nec ullam quæ ipsi hoc nomine non cedat, reperire est. Est sapore & aspectu grata, plena, multum nutrit, bonum sanguinem gignit, si modicè sumitur, efficit bene coloratos, & una uncia ualidior est, quàm integer sextarius tenuis alicuius hordeaceæ Cereuisiæ. Possent aliæ tenuiores hac condiri, & uires acquirere, ut deinde alieno præsidio inter mediocres referrentur. Quidam utuntur ea loco pharmaci mollientis aluum, plurimumq; se iuuari experiuntur. Immodicus autem usus, sicut aliarum omnium etiam optimarum rerum malus est, & morbos graues progignit. Incendit enim sanguinem, suffundit faciem rubore non naturali, lippitudines oculorũ parit, podagras, articulorũq; dolores excitat, cruditates calore debilitato adfert. Modicè igitur bibenda, nempe quantum uires tolerãt, non quantũ gula adpetit.

Enu-

Enumerarem copiosiùs laudes huius Cereuisiæ, & peculiare Encomium instituerem, si argumenti forma pateretur, uerùm id Rhetoribus relinquo. Quæ autem maior laus est, quàm inter bonas res primas tenere, & ex laudatißimis Cereuisijs alijs anteponi. Ad hanc propè accedit nostra aulica Cereuisia, quæ in Martio cocta Martiana adpellatur, est tamen uiribus inferior. Ciuitatum etiam Cereuisiæ probantur, sed gradibus à superioribus longius distant. Est & Elbingensis utilis potus, propter bonitatem, & saporis gratiam. Sunt præter has multæ aliæ, quæ in oppidis magnis & paruis, nec non arcibus coquuntur, quæ uiribus multis laudatißimis pares sunt. Sed nomen obscurum est, uel quia in locis procul à fluminibus remotis coquuntur, uel quia optimarum copiâ mediocres, ut fit, obscurat.

De Polonicis.

Polonia inprimis albis Cereuisijs delectatur, quas & uarias, & præstantes habet, quæ bene nutriunt, bonum sanguinem gignunt, & egregiè sitim sedant, maximè quæ uinosi saporis sunt, palatum amplectitur.

De Lituanicis.

Eodem modo & Lituanicas uehementer commendari audio, in quarum tamen natura exploranda nondum periculum feci.

Pomeranicæ.

Ex Pomeranicæ Cereuisijs præferri audio Sunnensem.

ſem, quam nondum guſtaui. Adfertur Colbergenſis ad nos, non contemnenda Cereuiſia. Bibi in quibuſdam pagis apud nobiles Cereuiſias ualidiſsimas, & nullo modo reijciendas.

Marchiæ Cereuiſiæ.

Marchia multas laudatas Cereuiſias habet, ſed præcipuæ ſunt Bernauenſis, Repinenſis, Garlebienſis, & Soltuuedelenſis. Poſtremæ ego primas tribuo. Coquitur enim ex bona aqua, & ſolido frumento: plena eſt, non nimium lupuli habet, palato grata, boni coloris homines plurimi ibi inueniuntur. Garlebienſis, quia triticum uehementer toſtum recipit, facilè ſtranguriam concitat, & fauces, ſi intemperanter ſumitur, ad noctem areſacit. Bernauenſis æſtate præ cæteris in precio eſt. Repinenſis multum ſubſtantiæ habet, plurimumq; nutrimentum exhibet. Habet quælibet & ex his atq; ſequentibus peculiare etiam nomen, ut Brandeburgenſis, antiquus Nicolaus, quòd bibentes ſomnolentos ac ignauos reddit, uocatur. Verùm cognomina ad temperaturarum cognitionem nihil faciunt. Quare nec ſcribenda, nec explicanda.

De Hamburgenſi.

Quemadmodum inter hordeaceas Cereuiſias Dantiſcana, ita inter triticeas quas ego quidem guſtaui, Hamburgenſis primum locum ſibi uendicat, grati ſaporis eſt, multum ſubſtantiæ habet, copioſum ali-

mentum, & boni succi præbet, sanguini bono gignendo est, efficit uenustum colorem. Colore enim eleganti non solùm puellæ & mulieres, sed etiam adolescentes plurimi ibi conspiciuntur: ætate uires, more aliarum triticearum, citò amittit, nec diu durat. Non facilè calculum gigni patitur, neque solum colorem bonum natiuum reddit, sed etiam cutem teneram & mundam lotione facit. Multi utuntur ea ad soluendam aluum per se, aut butyro addito Phrysico. Sunt qui ad omnes morbos eam ualere non secus ac Cato Braßicam suam, credunt, ideoq; alia medicamenta omnia respuunt, totamq; Medicinam contemnunt. Quasi uerò omnia mala corporis alui solutione tollantur, totaq; ars medica nihil aliud sit, quàm ratio molliendi, laxandiue aluum. Sed hæc omitto. Immodicè autem hausta turpiter faciem deformat, incrementaq; & tubercula multa producit. Nam ob calorem superiora potißimùm petit. Quia uerò plus nutrimenti, quàm ex usu est, capiti accedit, nascuntur incrementa, tubercula intumescunt partes faciei, & quum sanguis calidior iusto sit, ruborem etiam non naturalem excitat, is tandem in plumbeum, deficiente paulatim natiuo colore, degenerat.

De Lubecensi.

Lubecenses ad huius imitationem Cereuisiam coquunt, Israël dictam, iisdem uiribus, at infirmioribus,

bus, itaque quibus caput non admodum firmum est, hæc illa aptior iudicari debet. Conantur & multæ aliæ uicinæ ciuitates Hamburgensem ut præstantißimam exprimere, uerùm non admodum feliciter.

De Goslariensi.

Goslariensis etsi Hamburgensi consistentia cedit, est tamen non minus quàm illa dignißima laude. Tenuior illa in principio dulcis, postea temporis progressu saporem (ut antea dixi) uinosum gustanti præbet, mediam naturam inter triticeas habet, nutrit & calefacit probè, bonum sanguinem gignit. Fiunt ex eo iuscula non secus ac uino, palato gratißima, ac corpori saluberrima.

De Embecensi, & Brunsuicensi.

Inter omnes siue æstiuas, siue tenues hordeaceas siue lupulosas (ut ita dicam) Cereuisias, hæ duæ principatum tenent, & longißimè tum terra tum mari, propter insignes ipsarum utilitates, aueհuntur. Sunt enim ualde inter se tum qualitatibus sensibilibus, tum uiribus cognatæ, adeò ut sæpe una pro altera uendatur bibaturq́;. Verùm utra præstantior sit, non facilè iudicatu, nec pronunciatu satis tutum. Quisq; enim suam commendari, ac cæteris præferri cupit, alij aliam præferunt. Vt ut autem res se habet, mihi Embecensis magis probatur, Nam saporem gratiorem illa habet.

Suſpicor Brunſuicenſis aquam, ex qua fit aliquid uitij, ex riuo influente contrahere. Ambæ minus calefaciunt reliquis, minus nutriunt, celerrimè penetrāt, urinam mouent, propter ſubſtantiæ tenuitatem, et lupuli naturam, non ita petunt caput, ut pleniores, euehunt aliquid bilis, æſtiuo tempore omnibus potibus præferendæ, febricitantibus ut nihil gratius, ita uix quidquam ſalubrius. Brunſuicenſis facilè dyſuriam adfert, & calculum generat. Plurimi enim calculoſi reperiuntur non ſolùm in illa ciuitate, ſed etiam in uicinia. Idem de Embecenſi iudicium. Sunt ambæ reliquis frigidiores, quod etſi experientia haud obſcurè confirmat, uidetur tamen in quibuſdam ratione carere, cùm amaritudine, quæ caliditatis nota eſt, uincat alias. Quod etſi non negamus, conſtat tamen ex ſuperioribus, non lupulum tantùm, ſed etiam frumentum conſiderandum eſſe, quod aliæ copioſius habent.

De Roſtochienſi.

Roſtochienſis Cereuiſia utilis potus eſt, æſtiuo præſertim tempore Quare à quibuſdam pro Brunſuicenſi apud nos æſtate bibitur.

De Cerbeſſenſi.

Hæc Magdeburgenſibus præ cæteris hominib. in delitijs eſt. Guſtui nanq; grata, plena, beneq; nutrit, in quibuſdam mingendi difficultatem, atq; urinæ ardorem proritat. Itaq; eiuſmodi naturis cauenda, aut rariſſimè bibenda.

DE THVRINGIACIS.

De Neoburgensi.

Hæc in Thuringia celebratißima est, neq; immeritò. Nam multum substantiæ habet, bene cocta est, multum nutrit, calorem genuinum auget, & nulla re quæ ad bonæ Cereuisiæ conditiones requiritur, caret. Facilè autem caput tentat, hinc quidam eam obcæcare potantes clamant, neq; id mirum est, cùm non tam oculis, quàm mente capiantur, si immodicè & perinde ut iumenta aquas infundant.

De Erphordensi.

Dignus esset hic potus honestiore cognomine, nec uideo, quid in eo desiderari queat. Nam boni succi est, uberrimum alimentum corporibus exhibet, saporem & colorem non alienum, sed palato delectabilem, habet. Me primùm cùm Erphordiam uenirem, aliquandiu nominis fœditas ab eius usu ut abstinerem mouit, postquam autem semel eam gustaui, gratißima mihi fuit. Miror aliunde eos adferre potum, cùm domi optimum ipsi parent. Sed ea est hominum natura, ut aliena semper suis meliora esse putent, & nihil admirentur, nihil expetant, nihil in delitijs habeant, nisi quod aliunde adfertur, & quò quid longius aduectum est, eò præstantius esse iudicatur.

De reliquis Cereuisijs Thuringiæ.

In multis Thuringiæ locis pleniſsimæ Cereuiſiæ ob frumenti præſtantiam & ſoliditatem, coquuntur, uerùm quia incolæ lignorum inopia premuntur, & ſuccidaneis parum ad hanc rem aptis, ſtraminibus uidelicet, ſtipulis, uel ramentis uti coguntur, fiunt fumoſæ aut fuliginoſæ, ſtomacho ingratæ, minusq́; ſalubres, nutriendo tamen plurimum ualent.

De Miſniæ Cereuiſijs.

Miſnia cum qualibet regione Cereuiſiarum numero, uarietate, bonitate, & præſtantia certare poteſt, nec cuiquam facilè hoc nomine cedit, aliæ tamen alio anni tempore (id quod de omnibus prædictis & ſequentibus in genere intelligi uolo) accommodatior eſt. Nullus etenim potus quantumuis præſtans, omnibus temporibus omnibus naturis æquè confert. Nec ullus tam uilis eſt, qui non aliquando ſit optimus. Quæq; enim loco & tempore ualent.

De Torgenſi.

Trahit ſua quenq; uoluptas, ut poëta ſcribit. Neſcio igitur, utrum magis affectu aliquo, & peculiari quadam proprietate palati mei, an rationibus ad hanc Cereuiſiam ferar. Videtur enim mihi inter omnes excellere, non quidem robore, ſed bonitate egregiè nutrit, boni ſucci eſt, nec ſolùm alit, uerumetiam principalia membra corroborat. Nam odorem & ſaporem aromaticum habet.

De Belgerenſi.

Belgerenſis ut loco, ita uiribus quoque uicina eſt Torgenſi.

De Freiburgensi.

Hæc propter insignes utilitates celeberrima est: Nam ex bona materia fit, et studiosè conficitur. Ideo *quæ bonæ Cereuisiæ officia sunt, pulchrè præstat.*

De Vuurzensi.

Hæc quoq; celebris est, non sine causa. In *summa, non facilè pronunciare est, cui ex his primatus sit tribuendus, adeò laudatæ sunt omnes.*

Dignitas & utilitas reliquarū Cereuisiarum partim ex prædictis patent, partim à iudicio uulgi, quod in hac materia nullo modo contemnendum est, petantur.

De Vuitebergensi.

Non possum silentio Cereuisiam Vuitebergensem præterire, qua multis annis sine corporis incommodo familiariter usus sum. Quæ si talis est qualis esse debet, omni culpa atq; reprehensione uacat. Quòd si cum alijs conferre libet, mediam quodammodo naturam habet inter hordeaceas tenues & plenas. Quòd autem nunc degenerat, & tenuior usitato bibitur, hoc cum omnibus ferè commune habet.

Epilogus.

Restant præter dictas multæ haud dubiè optimæ & saluberrimæ Cereuisiæ, sed mihi adhuc ignotæ. Sunt & quædam satis notæ & familiares, sed obscuræ alijs, de quibus tamen nihil in præsentia breuitatis gratia dicam. Ex *enumeratis enim de reliquis iudiciū facere, atq; quas uirtutes habeant, deprehendere, non erit difficile.*

De ijs quæ ex Cereuisijs parantur.

Varia genera eduliorum, condimentorum & medicamentorum ex Cereuisia conficiuntur, de quibus pauca, ne Lectori tædium afferamus, persequemur.

Vsitatißimus cibus ex Cereuisia est, iusculum simplex aut compositum, additis ouis & aromatis quibusdam, ad quam rem alba nigra accõmodatior est.

Puls etiam ex Cereuisia, addito pane in craßiorem farinam redacto, fieri solet.

Cereuisia cum largo butyro aut oleo ex oliuis ieiuno stomacho sumpta, mollit & leuiter soluit aluum.

Cereuisia cum puluere zingiberis condita, egregium cruditatis uentriculi medicamen est, quo familiariter utuntur incolæ maritimarum ciuitatum, & ipse quoq; idem non sine emolumento ualetudinis sum expertus.

Calami odorati siue aromatici puluis cum Cereuisia haustus, emendat uitia uentriculi ex aquæ potu contracta, iuuat coctionem.

Cereuisia cum puluere Cimini, tormina & inflationes uentris lenit, dolores colicos ex flatibus sedat.

Alba cutem elegantem & nitidam efficit, si ea lauetur, quod notum est experimentum.

Compertum est in his locis, optimè, & breui temporis interuallo saginari gallinas & capones, si pro aqua cereuisia potui detur, aut alijs escis admisceatur.

Fit

Fit etiam à quibuſdam Chirurgis emplaſtrum ex Cereuiſia, uidelicet, cùm ad ſpißitudinem coquitur, quo in antiquis ulceribus utuntur, uerùm ego effectus eius nullam experientiam habeo.

Defeßis ambulando currendóue Cereuiſia mediocriter calida pedibus impoſita, remedio eſt.

Cereuiſia ſecundaria, cum lupulo recenti denuò cocta, & calidè in ore contenta, mitigat dolores dentium.

De ſpuma Cereuiſiæ concreta, & fecibus, ſiue ſedimento.

Vtuntur piſtores loco fermenti ſpuma Cereuiſiæ denſata, ſiue fecibus. Nam fermentãt maſſam, & quia flatuoſæ ſunt, panem reddunt rariorem.

Vſurpantur quoq; feces ad ænea uaſa purganda et polienda, ſi prius in eis aliquandiu macerentur.

Spuma & ſiliquæ frumenti abſtergunt cutis ſordes, eamq; mundam & leuem reddunt.

Ex fecibus Cereuiſiæ, non ſecus atq; uini, uinum ut uocant, ſublimatum paratur, ſed illo minus generoſum eſt. Bibitur in frigidis malis uentriculi, & aliorum membrorum. Cauendus autem eius creber uſus quibus caput infirmũ eſt. Ad exteriores partes corporis in unguentis rectè adhibetur, potißimùm ubi partes refrixerunt. Cõficitur & ex Cereuiſia, & ex hordeo macerato ſimiliter ſublimatum.

Aqua quæ inter deſtillandum ſeparatur, utilis eſt ad porcos ſaginandos, ſimiliter & feces.

De Aceto Cereuisiæ.

Cereuisiæ degenerant in Acetum, aut ætate, aut calido cœli statu acescunt. In quibusdam maritimis locis coquitur acetum, quod etsi uini aceto inferius est, tamen qualitatibus & usu respondet. Ex simplici trifariam usitatè cõponitur. Primum rosaceum, quo ego multùm utor. Vsus eius est non solùm in mensa ad intinctus, sed magnam gratiam bubulis carnibus assandis, si madefactis eo pannis inuoluantur, conciliat. Nam non molles tantùm, sed friabiles quodammodo facit, & sapore grato ferinæ modo imbuit. Secundum ex Pulegio conficitur, quod magis medicamenti uice esse potest, quàm ad epulas adhiberi. Præcipuus eius usus est in animæ deliquijs, si naribus spongia linteolòue adhibeatur. Similiter & Lauendula conditum in capitis adfectionibus plurimum momenti habet.

De Cereuisijs factitijs, siue conditis.

Non est nouum inuentum Cereuisias herbis, aut alijs rebus condire, nec gulæ causa, sed ualetudinis gratia ab hominibus ingeniosis initiò excogitatum. Multò namq; meliùs assumuntur, et uentriculum minus offendunt eiusmodi potiones, propter Cereuisiæ consuetudinem, quàm si alio modo medicamenta exhibeantur, & non tantùm minori nausea bibuntur, uerumetiam uentriculum, ut simplicia pharmaca, nõ subuertunt. Is accipit eas sine molestia, & retinet fi-

deliter,

deliter, deinde etiam ſuo tempore à ſe tranſmittit. Quare uſus eius non damnandus, aut negligendus prorſus eſt, ijs præſertim qui ambigua ualetudine ſunt, nec alijs pharmacis citra magnam offenſionem uti poſſunt. Scire autem oportet conditas Cereuiſias egregiè quidem alterare, ſed ſimplicibus multò minus nutrire, & medicamenta potius quàm alimenta dicenda eſſe, id eſt, uim medicamentoſam alendi facultatem in ipſis præpollere. Reliquæ enim etſi quoque alterant, tamen nutriendo uincunt. Et quemadmodum ſuprà dictum eſt, tenuiores citius quidem nutrire, ſed minus, ita & hîc ſentiendum, tenuiores celerius uires ſuas exercere, ſed minus craßioribus efficaces. Neq; tamen aßiduè etiam ualetudinarijs conditis cereuiſijs utendum, ſed quando neceßitas poſtulat, ne uidelicet natura propter quotidianum uſum non amplius inde afficiatur, ſed eam more aliorum alimentorum alteret, & in ſanguinem conuertat.

Ratio condiendi Cereuiſias.

Ex herbis, radicibus, floribus, ſiue ſeminibus ritè prius exiccatis, & à ſordibus repurgatis, rectißimè Cereuiſiæ condiuntur. Cùm enim uirides, ſiue nõdum ſatis exiccatæ ſumuntur, facilè corrumpitur potus, propter humiditatem ſimplicium alienam Triplex autem uſitatus cõficiendi modus eſt. Alij ſiquidẽ herbas ſiue radices in lixiuio Cereuiſiæ, ad tertias uel circiter incoquũt, Deinde reliquæ Cereuiſiæ, ut ſimul

bulliat,

bulliat, decoctum abiectis plantis cõmiscent. Alij tãtùm siccas materias unà feruere sinunt, postea eximunt. Alij siccas tantùm in dolia postquàm deferbuerunt Cereuisiæ ponunt, ita paulatim progressu temporis potus absoluitur. Hoc modo ex absinthio Cereuisiæ plerunq; parari consueuerunt. Est & alia ratio ex tempore conficiendi potum absinthiten, siue alium cuiuscunq; generis, qui non omnibus cognitus est. Sumitur Absinthium siccum (exempli gratia) & cõtunditur, uel manibus confringitur, mox Cereuisia aliquoties per illud colatur, donec clara iterum fiat, quemadmodum lixiuium ex cineribus parari solet. Hoc modo uinum Absinthite quibusdam iter facientibus conficere mos est.

Exempla. Ex Absinthio.

Hic potus notißimus & receptißimus est, bibitur æstiuo tempore stomacho etiam ieiuno medicamenti modo. Corroborat enim stomachum, adpetitum excitat, bilem per urinam expellit, abstergit, iecoris, & lienis obstructionibus medetur, biliosos iuuat, necat uermes amaritudine, putrefactionem prohibet, ducit menses, Pituitosis uerò uentriculis nõ ita multum commodat, paulò largius sumptus, quibusdam caput implet, grauat, ac somnolentum reddit. Vtiliter in declinationibus febriũ bibitur. Hydropicis etiam salutaris potio est.

Ex Rosis.

Quidam Rosis Cereuisias condiunt, quæ æstuanti

&

& dissoluto calore, uentriculo magnum auxilium adfert, refrigerat & cõfortat cor, uirium resolutionem ex calore sanat. Confert & toti corpori supercalefacto, sistit modicè aluum, si rosæ exiccatæ acceptæ fuerint, si uerò recentes, & adhuc uirides imponantur Cereuisiæ in quibusdam soluit.

Ex Saluia.

Cereuisia saluia condita, caput, stomachũ, adeoq; omnia neruosa membra corroborat, iuuat pectus, prodest renibus & uesicæ, cõfert & mulieribus atq; omnibus morbis neruorum ex frigiditate ortis, conuulsionibus, resolutionibus, tremoribus, & similibus. Ad hæc laxas gingiuas emendat, dentesq́; firmat.

Ex Hissopo.

Hæc Cereuisia ad pectoris uitia præcipuè accommoda est, incidit crassa & uiscosa, quæ in pectore cõtinentur, uocem claram reddit, tußim à crassa materia emendat. Difficulter spirantibus ac senibus apprimè utilis. Epilepticis quoq; non parum conducit.

Ex Helenio.

Hæc Cereuisia duplici ratione conficitur. Aut enim cum lixiuio Cereuisiæ Helenium decoquitur, aut siccæ radices in taleolos concisæ funiculo colligatæ, in dolia postea inseruntur. Vtraq; bona, prior dulcior, craßior, grata pulmoni, lenit pectus, altera efficacior, incidit & attenuat crassos humores pectori infarctos, & ad excretiones aptos efficit. Conferunt igitur ambæ morbis inprimis pectoralibus, pituitosis,

astmathi,

astmathi, difficultati spirandi, frigidæ tußi &c. Ad hæc urinæ meatus obstructione liberant, præsertim posterior.

Ex Betonica.

Ex Betonica quoq; à quibusdam Cereuisia paratur. Confert capiti, neruis & pectori, iecur obstructum liberat, cōfert renibus calculo uexatis, mensesq; prouocat.

Ex Artemesia.

Ex Artemesia paratur Cereuisia, in gratiam & utilitatem mulierum, quibus admodum familiaris hæc herba est, conducit utero, crassos uiscidosq; humores incidit, menses mouet, confert & calculosis.

Ex Pulegio.

Easdem ferè uires & Pulegio condita Cereuisia habet, uerū multò efficaciores. Promouet enim menses uehementißimè, præterea pectus craßis humoribus pressum purgat liberatq;.

Ex Origano.

Hæc Cereuisia iuuat concoctionem, calefacit uentriculum, intestina & reliqua intranea, utilis in frigidis ac humidis affectionibus.

Ex Lingua ceruina.

Ex hac herba utilis Cereuisia conficitur, melancholicis, spleneticis. Dari potest etiam non incommodè quatarnarijs.

Ex Rosmarino coronaria.

Ex Rosmarino coronaria cōficitur Cereuisia, quæ

omnes

omnes reliquas factitias, colore, sapore, & uiribus exuperat, et pximè ad uini naturā accedit. Est *colore aureo, sapore & odore aromatico, nō tamen medicamentoso.* Infusa *in uitrū, à fundo subinde bullas emittit exiguas, perinde atq; uina quædā.* H*æc mira arte paratur à ciue quodā* Brunsuicensi, *habitāti in noua ciuitate, nō procul à* D. Andreæ *templo, homine ingeniosissimo, apud quem omnis generis factitiæ* Cereuisiæ *semper in prōptu sunt.* Confortat *mirabiliter partes corporis primarias, cerebrum, & cor, spiritus animales atq; uitales recreat, calorem natiuum auget, appetitum prostratum reuocat, melancholicis, et cardiacis aptißima est potio: citò penetrat, uiscera obstructionibus liberat, mulieribus ualde confert, & menses tardantes egregiè promouet.*

Ex Melissa.

H*æc quoq;* Cereuisia *cōfortandi cordis uires habet, & spiritus uitales recreandi, confert melancholicis, tristes animi cogitationes discutit, mulieribus uteri iuuandi gratia non inutiliter assumitur.*

Ex Lauendula.

Non rarò Lauendulæ *floribus* Cereuisiæ *cōdiuntur, quæ plurimū caput, spinalem medullā, neruosq; inde ductos confortant.* Cōducit *igitur in omnibus morbis partium neruosarum ex frigiditate,* Apoplexia, Paralysi, Epilepsia, *conuulsione, stupore.* Datur *cum magna utilitate nutricibus ad arcendū comitialem morbum infantium, aut quando adest, ad curandum.*

Ex

Ex Spica.

Quidam pro Lauendula Spica uulgari utuntur. Hæc illa efficacior quidem est, sed minus grata. Est enim uehementer medicamentosa, & odore minus fragranti.

Ex Iuniperis.

Grana Iuniperi etiam à quibusdam Cereuisiæ imponuntur, quæ contra uenena ualere creditur. Confert uitijs renum & uesicæ, menstrua prouocat potenter.

Ex folijs Persicorum.

Quidam durationis causa inserunt folia Persicorum Cereuisijs, quæ urinam mouet, ac lumbricos uentris tollit.

Cereuisia Laurina.

E baccis lauri Cereuisia conficitur, qua multùm utuntur in his locis homines. Confortat caput & stomachum. Aperit epar, urinam cit, calculum renum & uesicæ comminuit propellitq́;. Quidam ingressuri balneũ, bibunt laurinam Cereuisiam sudoris gratia. Mouet sudorem & extra balneum, si bibentes se curiosè operiant uestibus. Cõducit malis inter cutem & carnem consistentibus. Mulieribus tardantes menses promouet.

Ex Azaro.

Hic potus egregiè urinã mouet, & serosum sanguinis excrementum per uesicam educit, quo nomine plurimùm iuuat hydropicos. Confert felle suffusis, et

articulorum

articulorum dolore laborantibus, cotyledones crassis, & uiscosis humoribus obstructas recludit.

Ex Centaurea.

Quidã ex floribus uel comis Centaurei conficiunt Cereuisiam, quo fine ignoro. Cæterùm usus eius sunt uarij, & multiplices. Habet uim incidendi crassos & uiscosos humores, aperiendi obstructiones uiscerum, cum aliqua tamen confortatione, ictericos & & lienosos iuuat, similiter articulorum dolore laborantibus confert, soluit aluum, & biliosa deijcit, necat & expellit uermes. Sunt qui loco experimenti hoc potu ad febres depellendas non incommodè ieiuno stomacho utuntur: Cæterùm mulieribus uterum gerentibus, tanquàm pestis nocentißima, uitandus est.

Ex Caryophillata.

Vsitatus etiam potus ex radicibus Caryophillatæ confectus, magis ut opinor propter saporis odorisq; suauitatem, quàm propter insignes utilitates, quas uulgus ignorat. Cõfortat autem principalia membra omnia sua aromatica qualitate, cordiq; imprimis amicum est, iuuat coctionem corroborando uentriculum, conducit frigidis capitis adfectionibus, præcipuè uertigine laborantibus ex causa frigida.

Ex Cerasis.

Hæc ferè ubiq; locorum Cereuisia conficitur. Est nãq; colore eleganti, sapore gratißimo, calido uentriculo amica, utiliter æstate bibitur. Quidam contundũt cerasa cum nucleis, & simul Cereuisiæ inserũt,

quam ego priori præfero, & temperatiorem esse nō dubito. Est enim penetrabilior ratione nucleorū, urinæ mouendæ accommodatior.

Ex folijs Quercus.

Hoc potu quidam utuntur in dysenteria, pro singulari experimento. Neq; id ratione caret. Astringendi enim facultatem habet, sistit aluum, omnis generis fluxiones supprimit, confert ad sputum sanguinis, promanantes intēpestiuè, aut immodicè menses coërcet. Corroborat uentriculum, iuuat retentionem, prouocat urinam, & quibusdam dysuria laborantibus præsentem fert opem.

Ex fructu Prunellorum syluestrium.

Non inutilis est hæc Cereuisia, & à multis magis ex consuetudine, & aliorum exemplo, quàm certi usus causa conficitur. Habet facultatem refrigerandi, uehementer adstringendi, ideo omnia, ut quæ ex folijs Quercus fit, sed multò efficacius præstat. Confortat uentriculū, fluxiones alui, intestinorū, uteriq; compescit. Reprimit etiam extrinsecus imposita, quæ membris influunt, æstiuo tempore non est incommoda, potißimùm si à prandio haustus sumatur. Aßiduum enim eius usum non probo.

Ex fructibus rubi Idæi.

Hic potus adstringit, conducit calido, & dissoluto stomacho, non continentibus cibum pulchrè opitulatur, fluxiones omnis generis compescit.

Possunt

Possunt eodem modo, alijs quoq; plantis, herbis, seminibus, & fructibus, Cereuisiæ ad necessarios usus condiri. Verùm ego ne prolixitate molestiam lectori adferrem, usitata tantùm elegi, ac uires eorum summatim perstrinxi. Spero meum studium bonis omnibus probatum iri, multisq; qui uarietate delectantur, ac ualetudinis curā agunt, aliquid profuturum. Vt autem faciliùs hoc argumentum intelligatur, & nihil inexplicatum relinquatur, totam tractationem de Cereuisijs in quasdam conclusiones contrahere operæprecium uisum est, quas nunc subijciam, mox breuem earundem explicationem, propter ea quæ suprà omissa, aut non satis dilucidè explicata sunt, adiungā.

CONCLVSIONES DE NAtura & facultatibus Cereuisiarum.

I. Cereuisia est potus ex aqua, frumento præparato, & lupulis coctus.

II. Cuius uaria genera sunt, inter quæ hordeaceæ, & triticeæ Cereuisiæ meritò primas obtinent.

III. Harum temperamentum calidum esse, cōtra multorum opinionem, asserimus.

IIII. Etsi autem hordeum sua natura frigidū est, tamen putrefactione & tostione aliquid caloris acquirit.

V. Triticum cùm per se calidum sit, tostione calidius redditur.

VI. Lupulum calidum esse, tum odor, tum sapores arguunt.

VII. Aquam frigidam & humidam esse constat.

VIII. Cum igitur potißimæ materiæ Cereuisiarũ calidæ sint, sequitur & illas calefaciendi facultatem habere.

IX. Idem effectus quoq; manifestè ostendunt. Nã potæ sensibiliter calefaciunt corpora, & caput petunt, largiusq; haustæ ebrietatem inducunt.

X. Hæc non nisi à calida causa proficiscuntur.

XI. Secundaria Cereuisia, aut aqua hordeacea simplex non calefaciunt.

XII. Hæc enim ex aqua & hordeo crudo coquitur, quorum utrunq; frigidum est. Illa etiamsi aliquid à materijs Cereuisiæ participat, id tamen exiguum est, ideóq; secũdaria Cereuisia ab aqua nõ multum distat.

XIII. Differunt ueterũ Zythus, Curmi, & Phucas Simeonis à nostris Cereuisijs, ratione materiæ, & præparationis.

XIIII. Nam nec lupulum addiderunt, nec frumentum eodem quo nostri pacto præparare consueuerunt.

XV. Itaq; ut illæ ab autoribus improbantur, sic nos has ualde salubres esse censemus, quod color ac robur utentium demonstrant.

XVI. Nõ enim solùm medicamentorũ ritu alterant corpora Cereuisiæ, sed etiam nutriunt (aliæ tamen alijs magis, pro frumenti & consistentiæ ipsarum diuersitate) gignunt bonos humores, nec renes,

nec

nec neruos,nec cerebri mēbranas lædunt,ne inflationes faciunt,nec Elephātiasin,nisi ex accidenti,creāt.

XVII. Triticeæ igitur uberius nutrimentū hordeaceis Cereuisijs præstant, quòd triticum hordeo in nutriendo sit ualentius.

XVIII. Craßiores uerò quia plus frumēti habent, uberius alimentum corporibus præbent,quemadmodum Dantiscana,Hamburgensis.Tenuiores cōtrà ob materiæ paucitatem,minus alunt,ut Brunsuicensis, Embecensis, & ex albis quædam Polonicæ atq; Lituanicæ.

XIX. Fiunt autem non solùm copia materiæ, sed etiam coctione craßiores Cereuisiæ.

XX. Variant et tempore.Recentes admodū satis quidem alunt,si probè concoquūtur, sed ægrè penetrant,facilè aluum turbant,inflationes mouent,obstructiones pariunt, uetustæ acidæq; parum alimenti habent,partes neruosas offendunt, non obsunt tamen illis qui craßis succis abundant.

XXI. Sicut nimis recentes,quia non exactè defæcatæ & turbidæ sunt, iure improbantur, ita & quæ in fundo sunt, eandem ob causam uituperandæ.

XXII. Eodem modo & reliquæ turbidæ, siue fæculentæ omnes,cuiuscunq; ætatis sint, inutiles iudicari debent.

XXIII. Quæcunq; saporem aut odorem aliquem peregrinum referunt,ut adustæ,fuliginosæ,situm dantes,aut resipientes,item crudæ, uitio non carent.

XXIIII. *Medias in omni genere reliquis præferendas, & humanis corporibus accommodatißimas esse censemus.*

EXPLICATIO BREVIS.

I.

Hæc propositio est definitio causalis.

Cereuisia. *Quia à Cerere deriuatur, potius quàm Ceruisia scribendum, ut opinor, licet hoc posterius crebrius apud autores reperiatur. Verùm parum refert, hoc ne an illo modo scribatur dicatúrue.*

Potus. *Est genus in definitione.*

Coctus. *Differentia. Alij enim potus sunt naturales, alij artificiales. Horum alius coquitur, ut Cereuisia, hydromel, alius non coquitur, ut uinum. Comprehenditur autem hac uoce coctus, causa efficiens & instrumentalis. Coctio siquidem non fit nisi ab igne, siue per ignem, qui ab aliqua persona paratur, & administratur, quæ causæ efficientis rationem obtinet.*

Ex aqua. *Hæc est subiectum Cereuisiæ.*

Et frumento. *Non enim ex hordeo tantùm, sed etiã ex alijs frumentis Cereuisiæ coquuntur, ideo genus quàm speciem ponere malui.*

Præparato. *Ad differentiam crudi, ex quo aqua hordei, & ueterum Cereuisia conficitur.*

Lupulis. *Ita plerunq; Medici in numero pluræli efferunt, ut Syrupus de Lupulis.*

II.

Diuisio generis in species.

Varia genera. *Vt suprà ostensum est: Nam ex omnium frumentorum & leguminum generibus possunt confici. Sunt tamen hæ duæ usitatißimæ, & propter materiæ excellentiam præstantißimæ, multisq; modis reliquis omnibus anteponendæ.*

III.

Hæc propositio caput est disputationis, & summam negocij complectitur. Reliqua enim facilè ac sine multa contentione transigi possunt. De qualitate *potißimùm controuersia est.*

Contra multorum opinionem. *Omnes enim ferè, non solùm idiotæ, sed etiam* Medicinæ *periti, uno ore tradunt, Cereuisias frigefaciendi uim habere.*

IIII.

Sequuntur causæ siue rationes sumptæ à priori, siue à materia Cereuisiarum. *Occurritur autem tacitæ obiectioni. Quomodo ex frigida materia fieri potest calidus potus?*

Sua natura. *Per se, crudum, non præparatum.*

Tamen. *Responsio.*

Putrefactione. *Ex putrefactione enim calefiunt, cùm reliqua corpora omnia, tum maximè semina &c.* Gal. *Item humor melancholicus, terrestris, frigidus, & siccus putrescendo incalescit. Et putredo siue materia putrida calidorum morborum, ut*

Medici testantur, causa est. Hoc loco *obijcitur res putridas frigidas esse, quod uerum esse minimè inficias imus, si planè computruerunt, sed non quæ putrescere incipiunt, aut leuem putredinem sentiunt, sicut frumentum præparatum, multò minus quæ adhuc putredinem habent.* Differre *autem exiccationem quæ ab aëre sicco & ab igne fit, omnino mihi persuadeo.* Hic *siquidem præter siccitatem empyreuma quoddam à calore ignis accedere non dubium est, idq; rationes suprà positæ aliquomodo ostendunt.*

Tostione. *Quæ est principium adustionis.*

Aliquid caloris. Nam *non uehementem, sed leuem torrendo calorem concipit.*

V.

Triticum esse calidum constat.

Calidius redditur. Hic *obijcitur,*

> *Si hordeum alienam acquirit temperaturam tostione,* Ergo *& triticum: & si redditur frigidius, sicut illud, calidius euadit.*

Respon. *Triticum propriam non abijcit, uerùm præter illam etiam aliquid alienæ caliditatis assumit.*

VI.

De *lupuli natura, quem quidam lupum, aut lupũ salictarium* Plinij *esse autumant, fortasse sic dictus, quia salicibus iuxta sepes annascitur, nihil relatu dignum apud probatos autores inuenio,* Mesue *frigidũ*

esse

esse memoriæ prodidit, quæ sententia quàm absurda & à ueritate aliena sit, examinanti sapores & odorem, meridiana luce clarius est. Quidam ex recentioribus, Io. Vigo. calidum & siccum esse scribit in primo gradu, sed declinare ad frigiditatem, hoc est, leuiter admodum calefacere.

Quoniam uerò de temperatura inter autores nõ conuenit, ex qualitatibus potius iudiciũ facere, quàm sine rationibus alterutram sententiam adprobare æquum est. Nos ut minimum secundum ei gradum in caliditate & siccitate tribuendum censemus, quod ex secundis ipsius qualitatibus colligi & probari haud magno negocio potest. Omnia siquidem uehementer odorata calida sunt, quippe cùm uaporum et exhalationum copia non nisi à calore proueniat. Esse autem flores lupuli odoratos, experiuntur illi, qui eos autumno decerpunt, aut qui plantam cum floribus pro lecto sibi substernunt. Implent enim caput, faciunt carybariam.

Verùm multò firmiores à saporibus rationes sumuntur. Principiò constat, omnia amara esse calida & sicca. Amaritudo lupuli uel ex folij unius mansione sensibiliter deprehenditur, multò autem magis dum coquitur, diffusa amara qualitate in liquorem, id sentitur. Præter hanc qualitatem & acrimoniam non paruam habet. Mansa enim & dentibus trita, saliuam propemodum instar pyrethri elicit atq; extrahit. Hæ rationes liquidò demonstrant, lu-

puli flores calidis & siccis secundi gradus rebus annumerandos esse.

Quòd autem flores lupuli in aqua decocti, nonnunquam membris inflammatione adfectis emplastri modo impositi opem ferunt, hinc non necessariò sequitur, eos frigefaciendi uim habere. Differt enim longè quod per accidens fit ab eo, quod primariè, & per se contingit. Imponitur eodem modo uentri in tormínibus ex flatibus, quoniam uim calefaciendi & digerendi habent, non quòd refrigerent aut constringant. Idem iudicandum est de febribus biliosis, & morbo regio. Nam cùm bilem expurgat, non mirum est biliosam febrem curare. Regio uerò morbo laborantibus ideo confert, quia aperiendi naturam habet.

VII.

Aliter Physici, aliter Medici de aqua loquuntur. Illi enim nihil aqua frigidius esse docent, idq; uerum est, si de puris elementis agitur. Sicut enim ignis summam caliditatem, ita aqua extremam frigiditatem poßidet, talis aqua ut bibatur nequaquam idonea est, sed ingesta non minus quàm ignis ipse corrumpit corpora. Medici igitur de aqua potabili sunt intelligendi, quæ ita à conditore omnium rerum in usum hominum, reliquorumq; animantium temperata est, ut commodè potari poßit. Nec est hac uetustior potus. Nam ante Noë tempora, quid aliud quàm aquam bibisse homines, qui diuturnitate uitæ,

& corporum robore nos longè antecelluerunt uerisimile est. Nónne etiam nunc in uicinis regionibus homines, qui nunquam in uita potum præter aquam degustarunt, inueniri existimas? Quinimò uidemus sæpenumero quibusdam aurigis aquam cum suis equis communem potum esse. Est igitur mediocriter frigida, non per exuberantiam. Quare est alteratu facilis, & paulo momento alias atque alias naturas maceratione, coctione, aut simpliciter admixtione admittit.

VIII.

Conclusio probationis prioris.

Potissimæ. *Non quantitate, sed qualitate & numero. Plus enim aquæ quàm reliquæ materiæ accipitur.*

Calefaciendi uim habere. *Compositum enim sequitur naturam simplicium præcipuorum.*

IX.

Altera probatio à posteriori, siue ab effectibus sumpta, quæ etiam sine ullis rationibus ualet. Sed hoc thema suprà abundè declaratum est.

X.

Frigida enim non subuehuntur in caput. Igitur non inebriant. Calida autem utrunque faciunt.

XI.

Suprà dixi, secundariam Cereuisiam esse colamentum

tum reliquiarum primæ decoctionis, & fit ut lora uini, colata uidelicet aqua peruinacea. Aqua hordeacea est illa usitata ex aqua & hordeo decoctio, qua uulgò in febribus multum utuntur. Simplex autem dicitur ratione aliarum, in quibus semina quædam, uel radices, uel herbæ, aut fructus unà cũ hordeo coquuntur.

XII.

Ex hoc sequitur causam caloris Cereuisiarum, aut in præparatione frumentorum, aut in lupulo solo, aut in utroq; consistere.

XIII.

Rationes præcedentis thematis.

Non multum distat. *Nam calore paululum excedit aquæ frigiditatem, & si quid nutrimenti habet, admodum exiguum est.*

XIIII.

Ne quis ex ueterum descriptionibus de nostra Cereuisia iudicium faciat, tenere oportet discrimen inter utranq;, quod suprà indicauimus.

Ex præparatione. *Et per consequens, temperatura.*

XV.

Ratio præcedentis.

Nec frumentum. *Nam tantùm aqua macerabant hordeum, quemadmodum nos potum ex malis syluestribus contusis, affusa aqua conficimus.*

XVI.

XVI.

Quod color. *Probatio à signis. Videmus bibentes Cereuisiam coloratos reddi. Color autem bonus à bono sanguine, sanguis bonus ex probo nutrimento, & uirtute coctrice integra oritur. Idem robur quoque corporis testatur. Nutrimentum enim salubre probos humores producit, & robur corporis auget. Vitiosum autem alimentum cacochymiæ parens est. Sed si obijciatur, Cereuisiam solùm partialem utriusq; causam esse. Respondeo, me id non negare, sed si mali humores inde gignerentur, neque coloratos, neque robustos homines efficerent.*

XVII.

Hic opus est explicare discrimen inter medicamentum & alimentum. Medicamentum dicitur materia, quæ corpus alterare potest, ut lupulus, & pleraq; ex Pharmacopolijs sumpta. Alimentum contrà est, quod à corpore alteratur, & in aliti substantiam conuertitur. Inter hæc mediam naturam obtinent, quæ utrunq; simul, siue æqualiter siue inæqualiter præstant. Eiusmodi materiæ alimenta medicamentosa uocantur, quòd pariter nutriant & alterent.

Nec elephantiasin. *Hæc dicuntur collatione ad Veterum Cereuisias, à quibus huius notæ malæ existunt. Elephantiasis uerò idem est, quod uulgo & in sacra scriptura lepra nominatur.*

Nisi ex accidente. *Nisi Cereuisiæ uitiosæ fuerint,*

rint, aut immoderatè uel intempestiuè hauriantur. Nam res etiam optimæ ac saluberrimæ abusu degenerant, & alienos à sua natura effectus producunt.

XVIII.

Compositum sequitur simplicium naturam, ut dixi.

XIX.

Siquidem nutriendi uis à frumento pendet.

XX.

Causæ craßitudinis ex superioribus patent. Quòd autem coquendo craßiorem consistentiam acquirat, præter alia argumento est Emplastrum de Cereuisia, cùm tamdiu coquitur, dum emplastri modo lineo panno induci potest.

Est & tertia causa consistentiæ ætas, at duæ posteriores cum prima coincidunt. Nam cùm aqua minuitur, craßitudo augetur, siue id coctione, siue ætate fiat.

XXI.

Inflationes. Propter feces, quæ flatuosæ sunt.

Qui crassis succis abundant. Habent enim uim aliquam incidendi & attenuandi humores crassos & pituitosos.

XXII.

Inter uitiosas Cereuisias etiam fæculentæ ratione fundi reputantur, Feces enim quocunque modo admiscen-

admiscentur, Cereuisiam uitiant.

XXIII.

Quædam ætate sunt turbidæ, ut recentes quædam, ex aliqua occasione externa, uidelicet agitatione uasis, aut cùm una uice simul omnis ex uase extrahitur. Ita enim commoueri ac turbari Cereuisiam necesse est.

XXIIII.

Quando Cereuisiæ peculiares sibi sapores amittunt, uitiosæ censendæ.

Crudæ. *Contrà. Cereuisiæ sunt coctæ, Ergo non crudæ. Respondeo. Est æquiuocatio. Crudum aliquando dicitur omnis coctionis expers, aliquando quod non probè aut perfectè coctum est. Hoc modo Cereuisiæ crudæ dicuntur, lupulo non ad satietatem percocto &c.*

XXV.

Medias uoco, exempli gratia, quæ nec crudæ, nec adustæ, non nimis recentes, nec nimis antiquæ sunt.

PARS

PARS SECVNDA,

DE MVLSA.

PRAEFATIVNCVLA.

IN *hac parte breuior ero: Nam pleraque ex superioribus dijudicari ac cognosci possunt.* Etsi *autem non minor uarietas est* Mulsarum *quàm* Cereuisiarum, *non tamen prolixa oratione, & multis exemplis utar, sed præsens argumentũ paucis expediam, deinde totam materiam in propositiones redactam, atque à me publicè disputatam, subiungam.* Nec *dubito, quin hæc simplex ratio explicandi, & breuis præcipuorum locorum enumeratio grata futura sit discendi cupidis. Sequor consilium* Horatij:

Quidquid præcipies esto breuis, ut citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

Malò enim necessaria tantùm, atque ad rem pertinentia enumerare, quàm ostentatione copiæ, alienis proculq; accersitis orationem nimium extendere.

DE MVLSA.

1. *Multis in ore est dictum* Pollionis Romuli, *& passim à literatis hominibus citatur. Sed pauci mulsum rectè distinguunt à mulsa.*

2. *Sunt igitur principiò adpellationes discernendæ, & utrique potui suum nomen tribuendum, ne indistinctis uocabulis rerum uires confundantur.*

Mulsum

Mulsum autem diuersum esse à Medone, ut qui- 3.
dam nominant, uel solæ etymologiæ Græcarum ad-
pellationum luculenter confirmant. Hoc enim Hydro
meli dicitur, quasi potus ex aqua & melle confectus,
alio nomine melicraton. Illud Oenomeli, quia ex uino
& melle cõparatur. Latinè mulsum, & mulsa (sub-
stantiuis nimirum, uinum, aqua, omißis) efferuntur.
Cæterùm mulsum simplex hoc tempore, quod sciã,
in Germania, aut apud nos, non est in usu. Quidam
inter pocula saccharum uino, non ualetudinis, sed
palati gratificandi causa admiscent: qui potus sua-
uior illo, nec minus salubris. Conficitur tamen non
rarò mulsum in maritimis ciuitatibus, conditum aro
matis, cinnamomo, zingibere, galanga, nuce aroma-
tica, macere, granis paradisi, cardamomo, caryophil
lis, croco. Interdum piper, præsertim longum, addi-
tur. Sunt qui aliquot grana gnidia adijciunt, sed
non sine periculo bibentium. Vocatur hic potus uul
go Claretum, & Hippocras, ueteribus mulsum aro-
matice dicitur. Alij loco mellis saccharum acci-
piunt.

Mulsa nostra à ueterum, si materiam spectes, pa- 4.
rum admodum distat. Illa ex aqua pluuiali magna
ex parte conficiebatur, nostra ex quacunque. Addi-
tur nostræ aliquid lupuli, ut diutius durare queat.
Neq; enim mel alieno adminiculo multùm indiget,
cùm alioqui sua natura non facilè corrumpatur, nisi
nimia aqua dilutum, sed alia potius corpora integra

diutißimè seruet. Ex ueteribus quidam fermentum Mulsæ, eo ut opinor consilio, quo nos lupulum adiecerunt, uel potius ut citò & bene ferueret. Quemadmodum Poloni & Lituani potui sibi familiarißimo ex uulgari branca ursina facta, fermenti aliquid inijciunt. Vincitur autem simplex & frugalis illa uetustas, tum uarietate, tum præstantia Mulsarum, à nostro seculo, uentri gulæq; deditißimo. Subinde alia atq; alia gulæ irritamenta, non ad sanitatem conseruandam, aut uitam prorogandam, sed ad uoluptatem, ad pernitiem mortalium, & præmaturam mortem accersendam excogitant. In qua arte quò quis felicior & ingeniosior iudicatur, eò celebrior habetur. Adeò paulatim mundus à prisca illa integritate degenerat, & deterior fit. Sed non propter abusum res bonæ negligendæ sunt.

5. Mulsa est potus præstans, maximè idoneus hominibus, has regiones incolentibus, in quibus mellis optimi summa copia, uini boni magna inopia. Et quid quæso aliud Mulsa est, quàm uinum arte confectum? Sententiæ nostræ suum Plinius addit calculum, libr. 14. cap. 17. his uerbis: Fit uinum ex aqua & melle tantùm.

Nectar. Quid putas Nectar, potum deorũ, à poëtis celebratum, atq; laudibus in cœlũ usq; elatũ, aliud esse quàm mulsam, quæ ex aërea materia, ut ille dicit, originem ducit? Ea enim appellatio uino tribui non potest, multò minus cereuisiæ, quæ à ueteribus ad unum omnibus

scriptoribus

ſcriptoribus culpatur. Cùm itaq; nullũ ſit tertiũ, non uideo cui Nectaris adpellatio q̃ Mulſæ conueniat.

Conditur etiam mulſa uini cereuiſiarumq́; modo herbis & aromatis, ſed tamen parciùs. Quæ ex Helenio fit, ſi ritè paratur, uitijs pectoris ſaluberrimum auxiliũ eſt, nam Mel & Heleniũ utrunq; per ſe pectori eſt amiciſſimum. Ex Zedoaria facta obſtat uenenis, robur addit ſtomacho, faſtidia diuturna tollit. Quæ uarijs aromatis conditur, ac præcipuè cariophyllos præ ſe fert, alibi mulſa aromatices, hic cæſar antiquus appellatur: cauſam nõ uideo. Vtiliſſimus potus eſt, in frigidis et humidis membrorũ nutritiuorũ uitijs, nec nõ in pectoris intemperaturis. Similiter in morbis neruorum frigidis, apoplexia, paralyſi, epilepſia, ſpaſmo, ita tamẽ ut medicamentorum lege ieiuno ſtomacho modicè deguſtetur, nõ ad ſacietatẽ bibatur.

Mulſa ſimplex temperamentum mellis habet, nec opus eſt multis argumentis ad confirmandã hanc ſen- 6.
tentiã, ſi quis ſuperiorũ meminit. Porrò mel eſſe calidum & ſiccũ in ſecundo gradu. Medicorũ nemo non profitetur. Habet facultatẽ exterſoriã, eſt tenuiũ partium, ſecundũ magis & minus, pro pabuli apũ uarietate. Nã maximè tale eſt, quod prouenit ubi thymus copioſè naſcitur. Cùm aũt tenuium partiũ ſit, neceſſariò etiã aliquid acre poſſidet, per quod uentrẽ ad excretionẽ irritat. Inflat quoq; mel. Sed coquendo quidquid flatuoſum eſt, in ſpumã abit, abijciturq́;. Quòd ſi & extergendi uis melli adimatur, magis ad uri-

nam ciendam idoneum, itemq́; ad alimenti distributionem ac nutritionem aptius redditur. Adimitur autem coctione, quod fit, dum mulsa paratur.

Hæc igitur dum adhuc cruda est, inflationes mouet, tormina excitat, aluum soluit, exiguam alimoniam corpori præbet, uocaturq́; à Medicis mulsa cruda, de cocta in sequentibus dicam.

Hîc quidam inferunt: Mel habet aëream naturam. Nam poëtæ mel aëreum, item roscidum uocant. Non igitur siccum, sed humidum est.

Respondeo. Aliter Physici & poëtæ, aliter Medici rerum temperaturas æstimant. Fortasse mel aëris qualitates habet, si ad totam naturam comparetur. Nos uerò de ea comparatione, quæ ad hominem fit, Medicorum more, hoc loco intelligi uolumus. Neque uerò ex rore tantùm apes mel colligunt, sed etiam ex plantis, præcipueq́; floribus ipsarum. Ros siquidem insipidus, & aqueæ naturæ est, omnisq́; coloris expers. Nam quid est aliud, quàm uapor in plantis condensatus? An uerò qualitatis plantarum in guttulas adhærescentis tantillo tempore transmigrent, alia quæstio est. Atqui ego id fieri non posse arbitror. Nam plantæ sapores suos & colores non solùm contactu superficiali rebus communicant. Si solus ros esset materia mellis, frustra à Meridie æstiuo tempore illo calore solis iam antè depasto, apiculæ circumuolitarent, quærentes alimoniam, nec promiscuè omnibus plantis insiderent, sed tantùm proxi-

ma quæq; aut quæ roris plurimum haberent, expeterent. At experimento constat, eas ex omni genere posse aliquid colligere. Hinc tanta diuersitas odoris, coloris, saporisq; in melle inuenitur. Non tamen negamus, eas quibusdam magis gaudere, quàm alijs. Delectantur enim certis plantis, & quarundam herbarũ succo suauißimè fruuntur, quemadmodum Melissa, quæ ob id ab apibus Græcè Melissophyllon, Latinè Apiastrum nomen adepta est.

Reperitur in quibusdam locis, ut in Sardinia, mel amarum, propter absinthij abundantiam, quo apes eò loci potißimùm, deficientibus familiaribus herbis, nutriri coguntur. Cùm itaq; mel calidum & siccum sit, quis dubitat idem temperamentum Mulsam habere? Mirari tamen quibusdam hoc loco subit, si calida & sicca est (ut nos affirmamus) cur Hippocrates febricitantibus, quibus frigida & humida, utpote contraria, competunt, & alijs acutis morbis correptis, exhibeat. In causa est præparationis modus. Nam illa mulsa qua in febribus utuntur, ualde tenuis & aquosa est, non, ut nostra, plena. Non caput petit, non aquæ modo in præcordijs moram trahit, citò transit, properat, & ad uesicam celeri motu contendit, non est ingrata uentriculo iecoriq;, Non igitur nocet, sed confert.

Sed hoc loco aliquis subijciat: Esto uera esse, quæ de tenui siue aquosa mulsa dicis, sed cur media æstate, in festo D. Ioannis, cùm aër calidißimus est, & bi-

liosus humor in corporibus mortalium dominatur quàm meraciß. cum magna solennitate bibitur, idq; diuturna experientia à multis rationibus comprobatur, nec ab ullo hactenus reprehensum est? Grauis est obiectio, & quæstio difficilis explicatu. Ego superstitione potius, quàm ratione illum morem primũ in Germaniam, aliasq; regiones inuectum esse opinor. Nec credo quenquam probabilem saltem causam eius rei reddere posse.

7. Quoniã uerò Mulsa gradibus differt, scire opor
8. tet, eam uires sumere aut à mellis præstantia, quo hæc regio etiam cum Attica certare potest, aut à copia, quæ nõ est certa mensura circumscripta, alij alijs plus, alij minus recipiunt.

Facit etiam plurimum ad hanc rem coquendi modus, qui non parum uariat, in quo summa rei posita esse uidetur. Nam ex eodem melle, eodem loco dißimilis potus effingitur. Sed de hac re nihil in præsentia dicam. Ergo cùm omnes causæ, quas commemoraui, concurrunt, generosiß. mulsa fit, quæ tum calefaciendo, tum nutriendo, alijsq; effectibus reliquis præcellit. Sunt tamen quædam notæ, quibus gradus deprehenduntur, ab odore, sapore, coloribusq; sumptæ. Colorem à melle accipiunt, mel, ut dixi, à plantis. Idem de sapore sentio. Cuius rei euidens testimonium in melle Ericæo apparet, quod & olfactu & gustu ex Erica factum esse perspicuè deprehenditur.

Colorum uerò plures causæ sunt. Crudæ enim uel

leuiter

leuiter tantùm coctæ, mellis colorem retinent, reliquæ non item. Quæ enim ex uirgineo melle, ut uocant, in tilietis collecto paratur, subalba est. Quæ uerò ex alijs mellis generibus coquuntur, flauæ sunt, & quò magis coquuntur, eò magis color intenditur, adeò ut quædam passei coloris inueniantur. Hæc co
lorum commemoratio & obseruatio ad iudicium de 9.
bonitate plurimum facit. Quò enim color longius à primo recedit, eò mulsa fit ualidior, plus calefacit, plus nutrit. Et quanquam probè cocta probè alit,
non tamen omnibus naturis, sicut nihil aliud quantũ- 10.
uis bonum conuenit Biliosis siquidem iuuenibus aduersatur, ac in calidis in bilem potius quàm sangui- 11.
nem bonum conuertitur. Pituitosis uerò nisi uenarum obstructionis periculum fuerit, & senibus adprimè utilis est potus, prodest frigidis morbis, maximè cerebri, partium neruosarum articulorum, iuuat pectus, sedat tußim, spiritum educit mediocriter, confert renibus et uesicæ, calculi generationem impedit. Recens uerò aut non satis bene cocta, inflationes, tormina, colicosq; dolores excitat. Cruda uerò omnino aluum magis soluit, probè autem cocta magis nutrit.

Peculiarem etiam facultatem Mulsa habet, aduersus quædam ueneni genera, si quis Apollinarem, aut Solanum furiosum sumpserit, potu melicrati iuuatur, atq; liberatur.

12. Postremò de præstantia Mulsæ adhuc scrupulus restat. Columella enim, autor grauis, & nequaquam contemnendus, tilias, ex quarum floribus Lituanicum illud præstans mel colligitur, improbat. Ita namq; libr. 9. cap. 4. de apum pastionibus scribit: At tiliæ solæ ex omnibus sunt nocentes &c. Quocirca cùm pabalum apum uitiosum sit, quomodo bonum mel ex eo fiet, & quomodo ex malo melle bona mulsa parabitur? At experientia constat, reprehensione indignas esse, cùm flores ipsarum non lædant, sed plurimum caput corroborando iuuent. Singulare enim remedium comitiali morbo ex tiliæ floribus destillatio elicitur. Non autem nisi cerebrum confortarent, aduersum epilepsiā uim haberent. Adde quòd hoc mulsæ genus non solùm incolis harum regionum sit familiarißimum, sed etiam principatum, iudicio bibentiū obtineat. Longa enim experientia, quæ omni autoritate potior est, testatur, potū esse salubrem, & naturæ amicum. Sed desinam plura de Mulsa referre, ne eorū quæ ab initio promisi, parū memor uidear. Fortasse hoc argumentum retexendi atq; latius explicandi dabitur occasio. Verùm priusquàm themata subiungam ostendam, quid apomeli sit, potus Mulsæ cognatiß. quo quidam pro uera Mulsa utuntur. Sic enim præparatur: Accipiuntur faui melle pleni, colore albo, mel pellucidum continentes, quod manibus expressum optimæ fontanæ aquæ admiscetur. Nunc Themata subscribam.

DISPV-

DISPVTATIO DE MVLSA.

I.

Pollio Romulus centesimum annum excedens, à D. Augusto hospite interrogatus, quá nam ratione maximè uigorem illum animi corporisq; custodisset? Respōdit, intus mulso, foris oleo, ut Plinius memoriæ prodidit.

II.

Id de mulsa siue medone, ut uulgo appellant, nequaquam intelligi potest.

III.

Est etenim mulsum potus ex melle & uino confectus, uel est uinum melle conditum, quod Græci Oenomeli uocant.

IIII.

Medo uerò est hydromeli, Melicraton, siue aqua mulsa ueterum, quamuis ratio conficiendi nonnihil uariat: additur enim aliquid lupuli, durationis gratia, quamobrem & longè diutius quàm ueterum, hydromeli nostrum conseruatur.

V.

Etsi autem à mulso diuersus est, nihilominus tamen magnum in uita, in his potißimùm regionibus, usum habet, & proximè ad uini naturam accedit.

VI.

Vis est illi calefaciendi & exiccandi. Nam mel calidum & siccum est, cuius temperaturam præcipuè refert.

DISPVTATIO

VII.

Alius tamen alio in calefaciendo, & exiccando, pro mellis bonitate, mensura, & coquendi modo, efficacior est.

VIII.

Nam qui præstantius, & copiosius mel recipit, et qui largius coquitur, ualidißimè utrunq; præstat.

IX.

Nutrit etiam non parum hic potus, si probè in uentriculo, & epate coquitur. Neq; enim id in qualibet natura promiscuè fieri potest.

X.

Sicut enim pituitosos, hoc est, frigidiores & humidiores iusto, tum alterando, tum nutriendo egregiè iuuat, ita biliosis, & qui leui occasione obstructione uiscerum corripiuntur, aut qui ructibus nidorosis (quos quidam ardorem stomachi non incommodè nominant) expositi sunt, res admodum inimica est.

XI.

In calidis siquidem facilè in bilem conuertitur, maximè qui meratior est, dilutior uerò aquosiorq; nō item.

XII.

Præstantiß. medo est, qui ex melle, quod ex floribus Tiliæ congestum est, coquitur, infimus autem qui ex Ericæo, minimè omnium generoso melle conficitur, censeri debet.

DISPV-

DISPVTATIO DE EBRIEtate.

I.

Ebrietas est contra naturam, & homine Philosopho indigna.

II.

Nam & corporis, & ingenij uires debilitat atque corrumpit.

III.

Hinc pallor & genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus, effundentes plena uasa (quæ sit pœna præsens) furiales somni, et inquies nocturna, præmiumque summum ebrietatis libido portentosa, ac iucundum nefas. Postero die ex ore halitus fœtidi, & ferè rerum omnium obliuio, morsque memoriæ, ut Plinius scribit.

IIII.

Physicè & moraliter uerum est: Quicquid est in mente sobrij, est in lingua ebrij.

V.

Nec expeditior ratio est, explorandi naturas & uoluntates hominum, quàm per ebrietatem.

VI.

Hæc siquidem temperamenta optimè demōstrat, & in apricum producit.

VII.

In alijs enim alios effectus, pro temperaturarū diuersitate, producit, quos ut elegantiß. ita uerißimè sequentibus uersibus Ouid. expreßit: Vina

Vina parant animos, faciuntq; coloribus aptos:
Cura fugit, multo diluiturq; mero.
Tunc ueniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor, & curæ, rugaq; frontis abit.
Tunc aperit mentes, æuo rarißima nostro
Simplicitas, artes, excutiente Deo.

VIII.

Est autem Ebrietas nihil aliud, quàm perturbatio mentis, & omnium actionum eius, ex immodico potu profecta.

IX.

Verè dixit Seneca, Consuetudine insania uitia uino contracta, etiam sine uino ualere.

X.

Nam consuetudo potandi temperamentum natiuum etiam optimum alterat, & alienum accersit.

XI.

Ex his sequitur, Ebriosos neq; ad Ecclesias, neq; ad Scholas, neq; ad ulla alia publica munia idoneos aut admittendos esse, sed tanquàm fucos à reliquis procul remouendos.

DE

DE CAVSIS, PRAESERVATIONE, ET CVRATIONE Ebrietatis.

Tres disputationes, ingenij iuuentutis exercendi gratia, in Regiomontana Schola propositæ.

EPIGRAMMA, In disputationes de Ebrietate.

Ebrietas commune malum, suauißima pestis,
Hæc mea per titulos fama feretur ait:
Illa ego terrarum domitrix, regina malorum,
Quæ clarum toto nomen in orbe gero.
Dux scelerum suprema uocor, uicijq́; magistra,
Nil nisi dulce malum, nil nisi dulce nefas.
Mors animi, gratusq́; furor, blandumq́; uenenum,
Morborum placidus fons, & amica lues.
Gurgulio, fundi baratrum, censusq́; uorago,
Vltio sum præsens, ipsaq́; pœna mihi.
Syrtis, Hydrops, Syren, Scylla, insaciata Charybdis,
Grandior & Furijs omnibus esse feror.
Nam quæ gestarum mihi surgat gloria rerum,
Notum est eöis occiduisq́; plagis.
Nullus erat sæuis unquam bellator in armis,
Qui dederit gelidæ millia plura neci.
Nemo tot impunè cædes, tot funera nemo
Aedidit, ac nostræ sæpe dedere manus.

At mihi quæ generis series ab origine pergat,
Aut quæ sunt partus pignora chara mei.
Quæ mala quãtaq; damna feram mortalibus ægris,
Quo sim uicta modo, quo reprimenda metu.
Ista iuuentuti referunt causasq; latentes,
Candida sincero pectore scripta dabunt.

David Milesius Nissenus.

IOANNES PLACOTOMVS Lectoribus S. D.

MAgnam uim in omnibus negocijs, maximeq; in his communibus studijs, habet causarum cognitio & obseruatio. Adeò ut uerißimè Poëta ab omnibus prudentibus dixisse æstimetur: Felix qui potuit rerum cognoscere causas. Vera enim noticia rerum nihil aliud est, quàm causarum cognitio. Quemadmodũ et Aristo. Philosophorum acutißimus, memoriæ prodidit, qui tũ demum nos scire aliquid scribit, cùm causas perspectas habuerimus. Quare in cognoscendis causis plurimum operæ & diligentiæ studiosis omnibus ponendũ est. Cuius rei nos hîc tãquam paradigma quoddã proposuimus, non de omnibus causis, sed de una quadã distributione, quæ non perinde nota est cunctis, ut uulgares diuisiones. Nam uir Doctißimus Philippus Melanthon, non ita pridem eam diuisionem ex Medicorum Schola haud dubiè propter insignes utilitates, in suam Dialecticam et Physicam

ſicam tranſtulit. Videtur autem, ut pleraq; alia ignota, imperitis obſcura, atq; non neceſſaria. Sed plana & perſpicua eſt, ſi tantum notum exemplum ſumatur. Quale hoc eſt de Ebrietate, heu nimium nota & uſitata materia, ideoq; facilimum, nec ullis ambagibus obnoxium. Habet enim externas cauſas euidentes, potiones uidelicet, omnis generis inebriandi facultate prædıtis. Deinde potus ingeſtus non ſtatim inebriat, ſed uim tantùm habet inebriandi. Differt tamen ab altera cauſa, quæ in corpore nondum exiſtit. Tertiò, ſunt uapores ueræ & propinquæ cauſæ, quæ immediatè turbant ſpiritus animales, cerebriq; actiones offendunt. Hæ unà cum effectu ſunt & deſinunt. Ad hæc & alterius cauſarum cuiuſdam diuiſionis mentionem fecimus, quæ profectò etiã ualde utilis eſt. Quod cùm ita ſit, non dubito, quin candidi lectores noſtrum ſtudium ſint probaturi, quod ad nullam aliam rem, quàm ad publicam utilitatem ſpectat & deſtinatum eſt. Sunt autem (ut id obiter propter imperitiores adijciam) cauſæ externæ, quæ extra corpus exiſtunt, uulgo remotæ dicuntur, Medicis uerò προκαταρκτικαί. Internæ, quæ in ipſo corpore ſunt, Medici antecedentes et προηγουμένας, uulgo mediatas, aut potentiales uocant. Hæ quàmdiu quieſcũt, talem adpellationem retinent, ſicut potus recẽs ingeſtus nõ mox agit, nec cibus aſſumptus ſtatim nutrit. Vbi uerò mouẽtur, & agere incipiũt, uocantur cõiunctæ, eò quòd effectui cohærent.

hærent, & cōiunguntur. Dialectici immediatas, Physici actuales, Medici quidam συνεκτικὰς adpellant. Altera diuisio causarum effectricum notior est, & ex uocabulorum natura facilè intelligi potest. συνεργὸν enim cum alio agit, nec per se effectum producere potest, ac propriè de efficiente dicitur, συναίτιον cōcausa, quòd cum alia concurrat, & coagat. Hæc tamen paulò latius mihi patere, quàm præcedens uidetur. Vtraq; causa partialis adpellatione cōprehenditur.

CONCLVSIONES DE Ebrietate.

1. Iustè ebrietas ab omnibus sanis hominibus reprehenditur, & tanquam pestis summè uitanda damnatur.
2. Est enim contra naturam, quod tum à priori, tum à posteriori constat.
3. Omne enim moderatum naturæ (quæ in symmetria quadam elementorum consistit) inimicum est.
4. Ebrietas etiā molestat tum corpus, tum mentem, & uarios grauißimosq; morbos parit.
5. Causa ebrietatis συνεκτική coniuncta, siue immediata est uapor halituosus, contentus in capite, turbans spiritus animales.
6. Προηγουμένη, antecedens, siue mediata, est potus immodicus in uentriculum ingestus.
7. Προκαταρκτική siue externa, est potus calidus halituosus,

platonica Regula.
Vespertina crapula matutina repletione curatur.

halituosus, ut Vinum, Mulsa, Cereuisia.

Συνάλιον, siue συνεργὸν, est calor uentriculi eleuans uapores à potu ingesto in caput. 8.

Sunt & συναίτια cibi halituosi, fumosi, quemadmodum allia, cæpe, raphanus. 9.

Subiectum ebrietatis esse cerebrum, in cõfesso est. 10.

Inter omnes naturas facillimè, quæ calida & humida capita habent, inebriãtur, quemadmodum pueri. 11.

Facilè & debilia capita, eò quòd causæ resistere nequeunt, inebriantur, id quod senibus & conualescentibus accidit. 12.

Est igitur Ebrietas affectio cerebri, ex immoderato potu contracta, omnes corporis actiones, maximeq́; animales impediens. 13.

Ex qua multa genera morborũ nascuntur, sed primus & propemodum indiuiduus ipsius comes est (quod ad animæ functiones attinet) delirium. 14.

Non ineptè igitur Ebrietas à quibusdam spontanea dicitur insania. 15.

Quòd alij bene poti loquaciores solito, alij facundi, alij balbi, alij omnino muti fiunt, ob naturarum diuersitatem accidit. 16.

Quare illud Poëtæ: Fœcundi calices, quem non fecere disertum, non uniuersaliter uerum est. 17.

Balbutiunt ebrij, & quia cerebrum multa humiditate perfunditur, et quia copia humoris grauatur. 18.

Vinum etsi calidum est, gignit tamen immodicè 19.

ſumptum etiam frigidos corporis præter naturam affectus, ut eſt Apoplexia, Paralyſis, morbus comitialis, caricomata, hydrops, podagra &c.

20. *Præcipuum autem, & primum immodici uini potus uitium eſt cruditas.*

21. *Idem de reliquis quoq; potionum generibus ſentiendum.*

22. *Ebrietas ex uino grauior, ex Cereuiſia diuturnior eſt.*

23. *Illa etiam periculoſiores morbos, quàm hæc producit.*

24. *Si quis ebrius repentè obmutuerit conuulſus moritur, niſi febre corripiatur, aut uocem recuperet hora qua crapula ſolui conſueuit.* Hip 5. aph. 5.

25. *Ebrietas non in omnibus æquali ſpacio, ſed pro natura potoris, & uini ſoluitur.*

DE PRAESERVATIONE Ebrietatis.

1. *Optima & certiſſima arcendæ Ebrietatis ratio eſt parcè, & nõ niſi quantũ neceſſitas exigit, bibere.*

2. *Deinde à fortibus potibus abſtinere, maximè quibus caput debile eſt.*

3. *Tertiò, non uarios potus eiuſdem naturæ ſimul ingerere, uarietas enim inæquales & turbulentos gignit halitus.*

Poſſunt tamen uinis fortibus aquæ miſceri, aut leuiores Cereuiſiæ, qualis Embicenſis eſt, ſuperbibi, quæ uini uehementiam frangunt.

Inter

Inter pocula parum comedendum. Nam cibus potum in uentriculo diutius iusto remoratur, unde plus uaporum in caput fertur.

Nec cibi halituosi inter bibendum assumendi. Tales enim per se caput implent, atq; offendunt.

Sunt & medicamenta quædam, quæ Ebrietatem natura, siue à tota substantia arcent, ἀμέθυσα Græcis dicta.

Hæc nisi ritè, id est, tempestiuè, & iusta quantitate usurpentur, plus faciunt interdum ad Ebrietatem accersendam, quàm impediendam.

Huius generis ab autoribus traduntur Absinthium marinum, amygdala amara, decoctũ braßica, pulmo ouillus, coctus ieiuneq; præsumptus.

Sumantur autem eiusmodi pharmaca, uel ante cibum, uel cum modico admodum cibo.

Quædam etiam sumpta à crapula, ebrietatem nõ nihil impediunt, ut austera & adstringentia, quia uentriculi orificiũ claudunt, uaporesq; in caput ferri prohibent.

Vbi hæc omnia neglecta fuerint, præstantißima præseruatio est uomitus. Hic siquidem causam antecedentem Ebrietatis tollit.

Est & alui profluuium egregiũ auxilium eadem ratione, si cui contingere potest. Id quod fit liquidis lubricisq; alimentis præsumptis, & stipticis in fine mensæ adiectis.

DE CVRATIONE EBRIE-tatis.

Curatio Ebrietatis, in causæ coniunctæ sublatione, & capitis alteratione consistit.

Causa coniuncta coctionem requirit, quæ optime in somno peragitur, iuxta illud Galeni: Somnus con coquit, uigiliæ digerunt.

Somnus igitur præstantissimum Ebrietatis remedium est, cui diutius solito indulgere oportet, ut natura cruda concoquere, & deinde post somnum facilius aliena exhalare posiit.

Nõ tamen statim à poculis dormiendum, sed post aliquod temporis interuallum, solutaq; prius aluo.

Postridiè caput leniter pectendum & fricandum, ut reliquiæ uaporosorum excrementorum discutiantur.

Lauare autem caput, & uehementer fricare, non nisi crapula soluta nequaquam confert.

Malè igitur faciunt, qui caput frictionibus & lotionibus intempestiuis diuexant.

Perniciosum & à ratione uera alienissimum est quorundam præceptum, hesternam crapulam matutina ingurgitatione profligandam esse.

Contraria enim contrarijs non similibus tollũtur, & omne tale additum suo tali, facit illud magis tale, ut Philosophi loquuntur.

Est tamen cum manè, uel etiam noctu frigida aqua, aut Cereuisiæ lora, restinguendæ sitis gratia, recte assumitur. Nam

Nam defectui succurrere, & caliditatem ex uino contractam aqua restinguere oportere, theorema medicinale est.

Hinc legendum esse in Aphorismis Hippocratis *opinor: Qui noctu bibere adpetunt, ijs non admodum sitientibus, si superdormierunt, bonum.*

Suffragatur nostræ opinioni idem Autor, qui alio loco scriptum reliquit: Siti leui ex uigilia somnus remedium est.

DE CAVSA CONIVNCTA.

Ad Lectorem.

GRauis est hoc seculo inter doctos quosdam de Causa coniuncta controuersia: Verùm utra sententia melior sit, adhuc sub iudice lis est. Alij causam morborum internam nullum discrimen recipere, secundum Galeni *dogma, ideoq; non esse causam coniunctam: aut si hoc concedatur, morbum cum causa confundi affirmant. Alij contrà internam causam diuidi in mediatam & immediatam pronunciant, eamq; distributionem ut necessariam, ita nihil incommodi habere contendunt. Deinde coniunctam causam diuersam à morbo esse demonstrant. His ego potißimùm subscribo, non odio Græcorum, aut amore Arabum (neq; enim eos hoc loco dissentire, si candidè accipiantur, opinor) sed studio ueritatis, quæ omni autoritate potior antiquiorq; esse homini*

Philosopho debet. Habeo meæ sententiæ non prorsus, ut mihi uidetur, malas rationes, nec ex alijs qui nobiscum sentiunt sumptas. Diu enim me hæc quæstio exercuit, nec semel cum meis commilitonibus iam olim de ea contuli. Non igitur aliorum argumenta repetam, sed tantùm meas rationes enumerabo, addita breui explicatione, ut rectiùs quid uelim intelligatur. Habeo enim præter hæc & alia, quæ breuitatis causa omitto, quorsum enim opus est de re tantilla integrum uolumen scribere. Quod cùm ita sit, cãdide lector, hortor petoq;, ut hæc æquo animo legas atq; accipias. Quæ si non probantur, aut refutanda uidebuntur, facias id philosophicè, non satyricè. Decet enim Philosophos de rebus dubijs amicè cõferre, non conuitijs, sed rationibus certare, & personas causis non immiscere. Nec aliud sint eiusmodi disputationes, quàm ludi quidam ingeniorum, quibus se mutuò exerceent excitantq;, non alius alium deformet. Quod si feceris, non solùm non molestum, sed longè gratißimum erit. Nam cedendum potius quàm succensendum meliora dicenti, boni uiri esse, & non minus laude dignum agnoscentem, quàm monstrantem ueritatem, omnino mihi persuadeo. Vale.

I.

Causæ morborum internæ sunt, quæ in ipso animalis corpore consistunt.

Hæc est definitio causarum morbificarũ internarum

rū generalis Galeni. Quòd aūt sit generalis, in sequē ti themate ex eodem autore luculenter probabitur.

II.

Harum aliæ nondum agunt, sed agere possunt, ut plenitudo, craßitudo, & lentor humorum: aliæ uerò iam agunt (quæ potißimùm causæ adpellationem obtinent) ut putredo in febre putrida, crassus & lentus humor in obstrictione.

Sequitur definitionem diuisio exemplis illustrata. Hìc prima est quæstio, an aliqua internarum morbificarum causarum diuisio in Gal. monstrari queat, an aliquid inter causam antecedentem et morbum intercedat, quod etsi quidam omnino negant, mihi tamen haud difficile probatu uidetur, & quidem ex ijs ipsis locis, quibus illi suam sententiam tueri conantur. Primus ex 88. cap. artis medicæ sumptus est, cuius hæc sunt uerba: Iam enim factum, atq; existentem morbum curare oportet, sed qui nondum quidem adest, ac futurus est, prohibendum est ne fiat. Prohibebitur autem sublata ea dispositione, à qua natura fieri potest. Talis uerò dispositio causa antecedens adpellatur. Hic idem uocat causam antecedentem, quod Auicenna causam potentialem siue mediatā. Similiter 8. Meth. cū dicit: Nō enim ei quæ iā facta est febri cōsulunt, sed ei quæ nūc in generatione est prospiciūt, tollendis scilicet ijs quæ illas excitāt causis. Itē 11. Meth. Prophylacticæ officiū est, causam quæ morbū creat adimere. Alio loco libro de sympto. differ. ita scribit:

Qvum morbus affectus quidam sit præter naturam uitians actionem, fieriq; possit, ut morbũ ipsum præcedat, alter adfectus qui & ipse quidem sit præter naturam, neq; tamen per se suaptéue ratione, sed interueniente morbo actionem lædat. Hunc affectũ *non morbum, sed causam antecedentem uocabimus.* Hic causam antecedentem pro immediata usurpat.

Ex his locis liquidò constat, causæ antecedentis adpellationem in Galeno æquiuocam esse, & diuersa significare: primò causam morborum internam in genere, deinde in specie causam potentialem, postremò actualem atq; immediatam. Ita & putredo à Galeno ipso numeratur inter causas morborum calidas, quod certè non nisi de coniuncta intelligi potest. Sunt plus quàm sexcenta alia loca, quibus idem probari potest, si non magis rationibus, quàm autoritatibus uti liberet. Sed ex omnibus unum tantùm, qui multorum instar esse potest, subijciam, qui adeò manifestus est, ut lectione solùm, nõ explicatione indigeat. *Causæ quidem igitur potissimùm cùm agunt, hac adpellatione dignantur.* Dicuntur *tamen subinde ita, etiamsi nondum quicquàm agunt, ideo quod agere possunt.* Vt *cruditas morborum causa dicitur, etiamsi morbum nondum intulerit, de constitu. art.* Medi. Ex his uerbis haud obscurè probatum est, antecedentem causam Galeno diuersas significationes habere, & aliquando mediatam, aliquando immediatam causam significare. Id quod res ipsa etiam

clarißimè

clarißimè ostendit. Necesse est enim inter humores putrescentes, & qui nondum putrescunt, constituere differentiam, cùm diuersi reuera sint, & diuersos etiam effectus habeant. Humor enim crudus refrigerat, putrescens calefacit. Vterq; autem dicitur causa morbi interna. Oportet igitur inter causas internas morborum constituere discrimen. Similiter in fluxionibus inter humores fluentes, & qui in aliquã partem confluxerunt, magnum discrimen est. Potest idem discrimen ostendi in morbis, qui per consensum fiunt, ut capitis dolor ex uentriculo, epilepsia ex digito manus aut pedis.

III.

Has causas, cùm diuersæ sint promiscuè, sineq; discrimine una uoce efferre incommodum, confundere uerò in morbis curandis, ualde periculosum est.

Quæ enim re ipsa differunt, etiam adpellationibus distinguere oportet, si non proprijs & elegantibus, saltem qualibuscunq; potius, quàm æquiuocè efferre. Indistincta enim pariunt confusionem, Confusio parit errorem, Error periculum.

IIII.

Prioribus enim præseruatio, posterioribus curatio debetur.

Sunt uerba Galeni, sicut & sequentia, & ostendunt usum diuisionis, seu continent rationem præcedentis sententiæ.

V.

Nam quod factum est, curare oportet, quod futurum est, prohibere ne fiat. Quod mixtum est, & adhuc fit, utroque auxilij genere indiget.

Causa praecedentis propositionis. Sicut igitur distinctae sunt partes medicinae, Prophylactice & Therapeutice, ita & obiecta earum (sic enim appellare libet) distinguere conuenit. In morbis siquidem curandis aliud antecedenti causae, aliud coniunctae competere uel uno exemplo ostendisse satis est. Fluentium humorum reuulsio, eorum autem qui membrum obsederunt, deriuatio medela est. Nónne hîc causae diuersitas diuersas curandi intentiones praescribit? Cur etiam alia medicamenta catholica dicuntur, alia topica? An non quia haec causae coniunctae opitulantur, illa antecedenti prospiciunt.

VI.

Rectè igitur Auicenna causas internas distinguit, & non incommodè alteras antecedentes, alteras coniunctas appellat.

Cùm enim diuersae sint rectè discernuntur. Nec adpellationes incommodae sunt. Mediatae enim causae quia ante effectum existunt, non ineptè antecedentes dicuntur. Immediatae uerò, quia unà cum affectu sunt, eiq; adhaerent, commodißime coniunctae causae adpellantur.

VII.

Quod perinde est ac si dicat, internarum causa-

rum

rum alias potentiales, siue mediatas esse, alias uerò actuales, siue immediatas.

Etsi causa coniuncta uel continens in hac materia apud Galenum expreßè non legatur, tamen quæ idem significant reperiuntur. Neque uerò de uocabulo tantùm quæstio est, sed potius de re ipsa, An uidelicet apud Galenum reperiatur causa morbifica, quam Auicenna coniunctam nominat. Quia uerò hoc suprà satis ostensum est, nulla amplius probatione eget. An uerò potentialis causa sit, uel dici poßit, cùm effectum non habeat, quæstio est, Logica potius quàm Medica. Extat certè apud Philosophos & Dialecticos etiam hæc uox, & ex Galeno præter superiora, uel hoc uno loco probatur. Quæ febris adhuc in generatione est, dum aufertur, causa ipsa unà interit.

VIII.

Antecedens igitur est, quæ medio interueniente agit.

Ex antecedente causa fieri quidem potest coniuncta, sed antequam id accidat, uocetur siue mediata, siue potentialis, siue antecedens, parum interest, modò ab altera distinguatur. Est igitur antecedens causa, quæ nondum talis est, qualis dicitur: sed potest talis esse. Quod enim potestate est imperfectum, & adhuc futurum, atque ut fiat quidem id, quod dicitur uelut habile, non tamen adhuc subsistens.

IX.

Coniuncta uerò quæ agit immediatè, seu quæ iam facit morbum.

Hæc à Galeno non in uno loco effectrix causa nominatur. Neq; aliud est hîc effectrix causa, quàm quæ à nobis coniuncta dicitur. Sunt & aliæ adpellationes. Vocatur causa mota, respectu quiescentis, & quæ nondum agit. Et quid quæso fluor substantiæ uel materiæ (quando Galenus loquitur de intemperaturis factis cum fluore substantiæ) aliud est, quàm causa coniuncta Auicennæ? Quid quæso sunt causæ morborum conseruatrices, uel causæ insalubres, ut nunc apud Gale. In summa, causa coniuncta est uerè & per se causa. Antecedens autem per accidens.

X.

Coniunctarum quædã separari ab effectibus suis possunt, & uicariæ ab Auicenna appellantur, quemadmodum humor acris & mordax in dyssenteria, qui etsi excretus fuerit adfectus, tamen manet.

Coniuncta causa, ut dictum est, significat actualem, eaq; duplex est: aut separabilis ab effectu suo, aut inseparabilis. Ita & Gal. 1. Meth. sentit, his uerbis: Eius affectus, qui actionem impedit, causæ quidem possunt non etiam esse, possunt autem & adhuc manere. Item in omnibus morbis, in quibus effectrix causa adhuc manet &c. Quæ uerba quid aliud docent, quàm effectricem causam aliquando à morbo separari posse, aliquando uerò morbo ita cohærere,

hærere, ut ab illo diuelli, nisi una soluatur, nõ poßit.

XI.

Quædam uerò inseparabiles sunt, non uicariæ ab Auicenna dictæ, ex quarum separatione sanitas prouenit, hæ propriè continentes Græcis adpellantur, ac non solùm actionibus ac pathematis, sed etiam morbis quibusdam competunt, sicut putredo in febre putrida, crassa materia in obstructione, uentositas in colica.

Exempla causæ inseparabilis, quæ Græcis uerè συνεκτικὸν dicitur. Ridiculum & absurdum quibusdam uidetur hoc exemplum, & à doctrina Galeni alienißimum. Sic igitur argumentantur: Si putredo causa coniuncta esset putridæ febris, amota putredine calor quoque febrilis amoueretur. Quod non fit. Nam infrigidatio, ultima nimirum in curatione Medici operatio est necessaria. Ergo putredo non est causa coniuncta putridæ febris. Hoc argumentum firmißimum esse, & nulla ratione labefactari posse, existimant. At ego consequentiam negandam censeo. Plus enim est in conclusione, quàm in præmißis. Hypothetica loquitur de calore febrili in genere. Conclusio est de febre putrida. Ergo sic argumentandum erat: Si putredo esset causa coniuncta febris putridæ, remota putredine febris quoq; putrida cessaret. Verùm hoc non fit. Ergo putredo non est causa coniuncta putridæ febris. Maior ex definitione sumpta est, ideoq; negari non potest. Negandum itaq; est

assumptum.

assumptum, uidelicet quòd putrescente humore sublato, febris putrida non desinat, de hac enim quæstio est. Sicut enim putredo non cuiuslibet febris causa existit, ita non quemlibet calorem statim secum aufert, sed illum tantùm, cuius uera & propria causa existit. Hìc alia quæstio oritur, an calor relictus post putredinis euacuationem sit putrida febris, quod certè nemo unquam mentis compos affirmabit. Vnde quæso putrida febris nomen habet, nisi à causa effectrice? Quomodo igitur causa sublata febris putrida amplius dicetur? Neq; enim erisypelas etiam uocari debet, posteaquam inflammatio eius ac feruor & biliosum illud abierit. Quòd si putrida non est, quid igitur? An alia febris species ex transitione facta? Certè hectica esse nequit. Quid igitur, num diaria? Non opinor, sed tamen calor est, nam ideo refrigeratione indiget? Respondeo. Post putredinis solutionem manet caliditas aliqua, sicut in foco extincto igne calor aliquis remanet, qui tamen durare diu nequit, nec ignis rectè dicitur, & sicut in fimo putredine cessante, fimus quidem adhuc aliquandiu calet. Ideo autem refrigerantibus interdum opus est, ut citius restinguatur calor post febres relictus, qui tamen per se desiturus esset. Idem in alijs quoque morbis obseruatur. In obstructione epatis euacuatis humoribus, intemperies, si qua relicta fuerit, curatur sola alteratione, more aliarũ intemperaturarũ uitiosarum. Quòd si cui hæc nõ satisfaciunt, ei non aliter

responde-

respondebimus, quàm amota putredine febrem putridam etiam uerè cessare, tãquam effectũ propria causa carentẽ. Calor aũt remanens, adpelletur quomodocunq; libet, certè febris putrida dici nõ potest. Neq; ignoro Galenũ aliquando morbũ et pathos distinguere, et adfectum qui adhuc fit, pathos, qui iã factus est, & à nulla amplius causa externa siue interna moueatur, morbũ adpellare, uerùm in curãdis morbis id discrimen uocũ non perpetuò seruatur. Nã febris putrida, et febris et morbus adpellatur. Si id impropriè fit, fiat et hoc eadẽ lege. In quodã tamen loco Gale. scribit contrariũ sanitati affectũ, à quo lædi actionem dicimus, morbũ tantùm adpellamus, siue diutinus hic sit, siue breuis, siue momento duret. Cũq; suffragia in præsentia colligere nõ uolo, tãtùm hoc mihi cõcedi postulo, febrem putridã esse morbũ, qui adhuc fit. Duplicẽ itaq; habet causam, eãq; diuersam, quæ necessariò distinguitur. Esto huius causarũ diuisionis in morbis. i. affectibus permanentib. siue factis, nullus sit usus in illis, tamen qui adhuc fiunt, quorũ maior pars est, ut in fluxionibus, in morbis per consensum, non ociosa est, neq; tamen negari potest, in febri putrida id quod iam factum est, morbum esse, & habere sibi adiunctam causam putrescentem humorem, qui diuersus est ab eo qui nondum computruit. Hæc de putredine sufficiant. Sed quid respondebunt ad alterum exemplum de obstructione ex Auicenna sumptum? An non uerum est, humore crasso posito in actu obstructionem

ſtructionem adeſſe, eodemq; ſublato morbum quoque tolli? An non craſſus humor opplens pupillam oculi cauſa coniuncta obſtructionis eſt? Hoc pacto etiam calculus ueſicæ cauſa coniuncta obſtructionis dici poteſt, quæ non niſi illo remoto deſinit. Verùm nunc tranſeamus ad alia exempla, ut per reliqua morborum genera aliquando cauſam coniunctam inueniri poſſe oſtendamus. Ab aqua intercutem habito (inquit Hippocrates) ſi aqua è uenis in uentrem defluxerit, ſoluitur morbus: & qui alba pituita detinetur, ſi fortè uentris fluxus ſuperuenerit, morbo liberatur, quod fit ratione euacuationis, cauſæ effectricis, teſte Philotheo. Item quibus ſurditas bilioſis deiectionibus ſuperuenientibus ceſſat. Nónne bilis eſt cauſa coniuncta ſurditatis, obſtruens meatus auditorios? Item Galenus 12. Meth. inter cætera ſic ſcriptum reliquit: Qui oleum ruta incoctum acceperunt, exiguo interpoſito ſpacio excernunt humorem uitreum, atque ex hoc protinus ſimul & à dolore, & ab affectu liberantur. Quippe ſublata cauſa, quæ ſpiritum flatuoſum genuit, omnia conquieſcunt &c. Hìc cauſa uidelicet coniuncta, & morbus ſimul deſinunt. Aliud exemplum ex Hippocrate 6. Aphor. in fine: Quibuſcunque à coxendicum dolore &c. ἰσχιὰς eſt morbus, cauſa eius coniuncta mucoſus humor in articulo collectus, relaxans ligamenta, & ad continendum inepta reddens.

XII.

Inſepara-

Inseparabili causa posita adest morbus, aucta augetur, uigente uiget, decrescente decrescit, cessante cessat.

Posita causa inseparabili in actu, ponitur & effectus, crescente eadem crescit effectus, nam augetur cuiusque causæ efficientis opus, aucta eius substantia, uigente & consistente uiget & consistit, remota remouetur.

XIII.

Id autem quo tangente afficimur, & quo separato quiescit adfectus, causam esse apud omnes homines in confesso est Gal.

Sunt uerba Galeni. Hinc puto & Medicum & definitionum autorem suas mutuatos esse definitiones. Verùm ambo exemplis obscuris parum aptis utuntur.

XIIII.

Bene itaq; causa coniuncta siue continens, propriè dicta, definitur esse, qua præsente adest morbus, & qua remota remouetur morbus.

Propriè ideo addo, quia intelligenda esset alioqui de separabili quoque causa, quod falsum est. Positis autem extremis, & media sunt intelligenda. Hæc igitur cum 12. propositione conuenit.

XV.

Etsi autem tales causæ à suis affectibus separari nequeant, non tamen sequitur eas à morbo nihil differre.

Non uideo quæ ſit conſequentia. Cauſa coniuncta à morbo non poteſt ſeparari. Ergo idem eſt quod morbus. Perinde ac ſi quis dicat: Morbus eſt inſeparabilis à ſuis ſymptomatis. Ergo idem quod ſymptomata. Nam ſicut ſe habet ſymptoma ad morbum, ita morbus ad cauſam coniunctam. Quod autem Galenus docet, morbum iam factum curari poſtquam affectus is, à quo primùm quæ ſecundum naturam eſt actio læditur, ſolutus fuerit, quem quidem & ipſum morbi eſſentiam eſſe dicit, non nobiſcum pugnat, (quanquam hic locus aliquid obſcuritatis & ambiguitatis habet, ob lectionis uarietatem) tamen id in præſentia non moror. Nos eodem modo intemperiem materialem ſanandam ſentimus. Verùm quod non ita multò pòſt dicit: Eadem ratione in alijs tribus intemperaturis, ſi unum commune præceptum obſeruabimus, ut unamquamque prius quæ efficit cauſam, reſcindamus, deinde ita ad illam quæ ab eadem cauſa facta eſt, ægritudinem accedamus &c. Hæc præcipuè uera ſunt de cauſis ſeparabilibus, quas Auicenna non uicarias adpellat, & de antecedentibus. Ab illis enim primò incipiendum. Docet autem Galenus, qui ordo ſit ſeruandus in curando, ſiue quid primo, quid ſecundo loco agendum.

XVI.

Ipſa enim non lædit actiones, ſed morbus, qui inter ipſas, & actiones læſas intercedit.

Ratio præcedentis thematis: Etſi maxima cauſæ coniun-

coniunctæ cum morbo societas est, tamen inter se effectu differunt.

XVII.

Morbi definitio apud Auicennam secunda primi doctrina prima, cap. 1. cum Gale. conuenit.

Sequuntur aliæ rationes, quibus probatur Auicennam á Galeno non discedere. Prima est, definitio morbi conuenit.

XVIII.

Similiter & causarum & symptomatum in genere definitiones cum Galeni doctrina consentiunt.

Secunda. Definitiones etiam reliquorum affectuum præter naturam, cum illo congruunt.

XIX.

Auicenna quoq; eodem quo Galenus modó intemperaturas, quod ad methodum attinet, sanat, nempe simplices sola alteratione, materiales uerò euacuatione, & alteratione si opus est. Ita enim scribit: Si uitiosa temperatura relicta fuerit peracta euacuatione, temperamentum mutare oportet.

Exemplum præcedentis thematis. Alia ratio à curatione sumpta. Eadem est methodus curandi intemperaturas Galeni & Auicennæ, sic & febrem.

XX.

Quod cùm ita sit, Auicenna immeritò, quòd causam coniunctam in morbis ponit, uituperatur, & falso, quasi causam cum morbo confundat, accusatur.

Hæc ex ſuperioribus bona conſequentia ſequuntur.

XXI.

Sequitur igitur ex præmiſsis, Auicennam re ipſa à Galeno in cauſarum doctrina non diſcrepare, etiamſi diuerſis adpellationibus utatur.

Dixi ſuprà non de adpellationibus, ſed de re ipſa controuerſiam eſſe. Ergo Auicenna iniuſtè reprehenditur, & à Galeni ſententia diſcedere dicitur. Poſtremò & illud tanquam coronidem addo: Quòd Auicenna cùm diſcedit à Galeni placitis, id facit apertè & expreßis uerbis, ſicut de medicamentis purgantibus. Ideo non eſt uerisimile, ipſum ſtudio diſſentiendi, ſed dilucidioris doctrinæ gratia cauſam internam morborum in antecedentem, id eſt, potentialem ſiue mediatam & actualem, ſiue immediatam diſtribuiſſe. Nec deſunt ex Græcis autoribus, qui eandem cauſarum diuiſionem uſurpant. Nec dubium eſt, quin Arabes, ut alia pleraque, ita & hoc quoque ab illis ſint mutuati.

INDEX

INDEX HVIVS Opusculi.

A.

Q.

FINIS.

FRANC. Apud Chr. Egenolphum,
Mense Martio.
M. D. LI.

Viginti grana in pondere faciunt scrupulum

Tres scrupuli | faciunt | drachmam, id est ein quintlyn
Quatuor drachme | | dimidiam unciam. ein lot
Octo drachme | | unciam, i. ij loth.
Duodecim unciae | | libram

Note ponder[is].

Granum		gran.
Scrupulus		℈
Drachma		ʒ
Uncia	hac nota	℥ — significatur.
Libra		lib.
Quarta		qr
Semis		.S.
Manipulus		M.
Pugillus		P.